Donatus Patris Lunay, S.J.

Moral prof

Provinciae Californiae

L 97
California Theologate
WOODSTOCK COLLEGE

Institutiones

Theologiæ Moralis

QUAS

In Collegio Maximo Woodstockiensi

TRADEBAT

JOANNES J. LUNNY, S. J.

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

Typis Collegii
Woodstock, Maryland
1924

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

2164

DE ACTIBUS HUMANIS

I. Actus Humanus est qui procedit ex voluntate deliberata.

Elementa:

1. ***Cognitio intellectiva, qua cognoscitur finis ut finis.*** (***Conditio***)
2. ***Voluntarium, i. e. quod procedit ex priucipio intrinseco*** (***voluntate***) ***cum cognitione finis.*** (***Ratio generica***)
3. ***Liberum, i. e. quod est immune a quacumque necessitate.*** (***Formale constitutivum in præsenti materia***)

II. Divisio:

1. ***Elicitus***
   Imperatus
2. ***Internus***
   Externus
3. ***Bonus***
   Malus
   Indifferens
4. ***Naturalis***
   Supernaturalis
5. ***Validus***
   Invalidus

III. Consequitur neque motus primo--primos neque ullum alium actum qui neque est actus liberæ voluntatis neque causatur a motu deliberato voluntatis esse actum humanum.

I. Theologia Moralis habet pro objecto suo materiali *actus humanos.* Expressione ista technica intelligunt theologi eos actus qui distinctivi sunt hominis in ordine ad finem suum attingendum. Sunt porro *actus liberi;* his enim solis homo accedit ad finem vel ab eo recedit.

Multiplicis generis sunt actiones quæ inveniri possunt in homine tamquam subjecto. Distingui enim possunt in Petro, (a) *actus violentus* (cujus principium est extra Petrum) quo v. g. projicitur in mare; (b) *actus naturalis* (qui necessario ponitur a principio intrinseco sine cognitione) quo, v. g. cor Petri pulsatur; (c) *actus hominis,* (qui fit cum cognitione aut mere sensitiva, aut ita remissa intellectuali ut nulla adsit deliberatio) quo v. g. Petrus inadvertenter movet manum; (d) *actus humanus* (qui cum sufficienti cognitione intellectuali fit) quo v. g Petrus, ponderatis mediis quibus dives fiat, aliquod ex iis eligit in hunc finem.

Constat hos ultimos actus esse *proprios homini.* In iis invenitur formalis et characteristica nota qua homo secernitur ab aliis quoad modum attingendi finem. Propter hanc rationem vocantur *humani.*

"Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur quæ ex voluntate deliberata procedunt." I, II, q. 1, a. 1.

Ut eliciatur actus hujusmodi tria elementa requiruntur:

Cognitio intellectiva, quæ est janua ad omnem activitatem characteristice humanam. Actus igitur *humanus* radicari debet in intellectuali cognitione, nam nisi quis *scienter* conformis vel difformis fiat regulæ morum, non erit *ut homo* ei conformis vel difformis.

Judicia, etiam de honestate actionis futuræ, sunt in se tantum conditio prærequisita ad actum humanum. Hic enim formaliter et interne constituitur a voluntate. Sed actus tum intellectus tum aliarum facultatum quandoque sunt actus humani in quantum a voluntate deliberata imperantur.

Plures sunt difficiles quæstiones de hoc elemento cognitionis, quæ postea tractabuntur quando agitur de Ignorantia, de Conscientia, et de possibilitate actus indifferentis in concreto.

Voluntareitas, quæ est forma generice constitutiva actus humani. Indicat *causalem dependentiam* actus humani a *voluntate.* Voluntarium est *id quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis.* Includit voluntarium plures effectus præter actus. Quando applicatur *actibus,* significat eos actus agentis qui originem ducunt a voluntate agentis cognoscentis finem. Si restringitur ad *hominem,* evidenter includit non tantum *omnes actus liberos* sed et primum voluntatis actum circa bonum commune et actum alium necessarium circa bonum summum in termino possessum.

Fusius explicabitur voluntarium in sequenti numero.

Libertas, i. e. immunitas a quacumque necessitate. Quamvis aliqui dixerint *voluntarium,* sensu exposito, esse characteristicam notam *humanæ activitatis,* communior sententia theologorum restringit *actum humanum* ad actiones viatorum quibus ordinat se homo ad finem suum. Constat autem talem actum esse *liberum, moralem, maxime voluntarium,* seu *omnino ab intrinseco principio* eo quod *se movet ad finem.*

S. Thomas: "Homo ab aliis irrationabilibus creaturis distat in hoc quod est suorum actuum dominus . . . ideo ibi incipit genus morum ubi dominium voluntatis." I, II, I, 1.

Suarez: "Si per actionem humanam intelligamus *moralem* et dignam laude aut reprehensione, sic sola actio libera est humana et hic videtur esse usitatior modus loquendi, quem sequitur D. Thomas, Ia, IIae, I, 1.

"Licet physica consideratione aliquæ actiones possunt dici humanæ quia procedunt ab anima humana ut rationalis est, tamen consideratione morali solum hæ postremæ (non solum quoad substantiam sed etiam quoad modum propriæ hominis) dicuntur proprie humanæ, quia ille modus (attingendi finem) est totius esse moralis fundamentum, seu ratio: et hæc doctrina est valde probabilis."

Ita etiam fere communiter recentiores restringunt actum humanum strictissime acceptum ad liberum actum viatoris. "Cum actus liber procedat a principio operationis et modo operandi quæ homini propria sunt . . . solusque regulæ morum sit subjicibilis, ac consequenter solus valeat ad ultimum hominis finem consequendum, merito dicitur per excellentiam *humanus*." Bouquillon, *Theol. Mor.*, n. 318.

"Unde consequens est beatificum amorem proprie loquendo humanum actum non esse." Frins, *De Act. Hum.*, Introd.

"Est actus qui ab homine perficitur cum advertentia intellectus, consensu voluntatis, et libertatis exercitio. Non desunt tamen qui sensu paulo latiore eam vocem sumant, ad designandos actus omnes qui ab homine fiunt quovis agendi modo hominibus proprio" (i. e. identificant cum perfecte voluntario, ut v. g. Vermeersch, *Theol. Mor.*, I, p. 51, qui dicit "actus dicitur humanus, qua *voluntarius*, i. e. quatenus a voluntate cum advertentia rationis ad humanam finalitatem procedit." . . . "In præsenti nostra vita, actus simul humanus et liber est; namque in cœlo actus plenissime voluntarius adhærendi Deo psychologice liber esse non potest"). Walsh, *De Act. Hum.*, nn. 23, 25.

II. **Divisio:**

A. (*a*) ***Elicitus,*** qui immediate a voluntate procedit.

Ut a S. Thoma traditur, I, II; q. 8-17, a Suarezio, *De Vol. et Invol.*, Disp. VII-IX; Billuart, *De Act. Hum.*, Dissert. III. Prolog., sex sunt actus a voluntate eliciti, quorum tres ad finem, tres ad media pertinent.

1. *Simplex volitio:* nuda complacentia et amor per se inefficax bonis propositi.

2. *Intentio:* tendentia in finem ita efficax ut parata sit media adhibere.

3. *Fruitio:* quies et gaudium in fine possesso.
4. *Consensus:* approbatio et appetitio mediorum.
5. *Electio:* acceptatio medii unius præ alio.
6. *Usus activus:* applicatio potentiæ executivæ.

(*De actibus correspondentibus intellectus, Cf. Bouquillon, p. 592; Wagemann, p. 20; Prummer, p. 28*).

(*b*) ***Imperatus,*** qui ab alia potentia elicitur sed sub imperio voluntatis agente.

S. Thomas, I, II, q. 17, Suarez, *De Vol. et Involv.*, Disp. X, et alii fusius tradunt explicationem hujus imperii.

B. (*a*) ***Internus:*** a potentia interiori; talis est omnis actus elicitus a voluntate et actus imperati intellectus.

(*b*) ***Externus:*** exterius manifestatus, ut genuflexio; hujusmodi actus, ut vere sit humanus debet habere concomitantem internum actum.

C. (*a*) ***Bonus:*** ex se conformis rectæ rationi, ut v. g. orare, laudare Deum.

(*b*) ***Malus:*** ex se difformis a recta ratione, v. g. mentiri, blasphemiam proferre.

(*c*) ***Indifferens:*** ex se et in abstracto neque necessario conformis neque difformis.

D. (*a*) ***Naturalis:*** solis viribus naturalibus elicitus, ut loqui.

(*b*) ***Supernaturalis:*** auxilio gratiæ supernaturalis productus, ut actus fidei.

E. ***Validus*** vel ***invalidus*** prout gaudet vel caret conditionibus requisitis ex lege ad certum effectum producendum.

III. **Illustratio Doctrinæ.** "*Infertur*, quod orta gravi tentatione, et postquam a phantasia, aut aliunde, vehementer excitatur appetitus sensitivus concupiscibilis, venereus aut irascibilis, quod, inquam, tunc in voluntate triplicis generis possint dari actus. 1°. Illi qui *præveniunt usum rationis*, et eliciuntur a tentato in eo instanti aut tempore, in quo intellectus voluntati nondum proponit motiva absterrentia, sed solum allicientia illius objecti in quod fertur appetitus. Et hi actus voluntatis dicuntur *motus primo-primi*. 2°. Illi qui *sequuntur ad aliqualem usum rationis*, et eliciuntur a tentato in eo instanti in quo intellectus

motiva absterrentia proponit solum obscure, motiva allicientia vero ad amorem illicitum aut ad odium, ita vivaciter ut voluntas a motivis absterrentibus solum remisse et imperfecte moveatur. Et hi actus voluntatis dicuntur *motus secundo-primi.* 2°. Tandem illi qui *sequuntur ad perfectum usum rationis* et eliciuntur a voluntate in eo instante, in quo intellectus voluntati satis clare et intense proposuit motiva absterrentia seu disconvenientiam et malitiam moralem, a quibus voluntas posset libere absterri, si serio vellet. Et hi actus voluntatis dicuntur *actus deliberati.* Actus 1^{i} generis *non sunt liberi* et consequenter neque sunt formaliter peccaminosi. Actus 2^{i} generis vero sunt *imperfecte liberi*, et solum venialiter peccaminosi. Actus 3^{ii} generis vero sunt *perfecte liberi* et consequenter, si adsit gravitas materiæ, sunt mortaliter peccaminosi." Struggl., *Theol. Mor.*, tr., 1, q. 1, a. 1, n. 10. S. Thom. I, II, q. 10, a. 3.

Somnambulus qui baptizat non valide agit, quia non est actus humanus. Etiamsi in statu vigilii præviderit se hoc facturum, imo et si voluerit, non valet—"neque tunc cum id vult, quia non facit; neque cum facit, quia non vult." D'Annib., *I, p.27, 2.*

Recitatio breviarii in somno non satisfit obligationi; nam exigitur actus humanus.

Susceptio baptismi ab infante non est actus humanus—valet tamen, quia non requiritur actus humanus.

Absolutio concessa ab eo qui est in statu hypnotico non valet.

Primus motus intellectualis non est actus humanus; neque primus actus boni in communi aut amor beatificus, quia sunt necessarii actus.

Actus simplicis complacentiæ ex se est indeliberatus actus; sed si ex alio deliberato actu voluntatis oritur, plene voluntarius et liber est. Cf. Frins, *I, nn. 346, 347.*

DE VOLUNTARIO

I. Voluntarium—quod efficitur a voluntate illuminata (actus vel effectus).

II. Divisiones:

a) Perfectum—cum plena cognitione et consensu.
Imperfectum—cum obscura cognitione vel imperperfecto consensu.

b) Simpliciter—absolute et efficaciter { *purum* / *mixtum*
Secundum quid—inefficax et conditionatum.
Juxta alios:
Simpliciter—est purum, sine repugnantia.
Secundum quid—est mixtum, cum repugnantia.

c) In se—Effectus (1) voluntatis (2) prævisus et (3) immediate volitus.
In causa—effectus voluntatis prævisus, qui etiamsi non immediate volitus, eo sensu tribuitur voluntati quod oritur ex immediate volito, aut cum eo connectitur.

d) Actuale
Virtuale
(Habituale)
(Interpretativum)
(Præsumptum)

e) Positivum—Directum
Negativum—Indirectum

I. Definitur ***voluntarium*** a S. Thoma, "*quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis.*" *I, II, q. 6, a. 1.* Singula fere verba sunt expendenda.

Quod procedit, i. e. *causaliter*. Voluntarium idem est ac *valuntarie productum* seu *a voluntate effectum*. Jamvero id quod efficitur a voluntate est aut *actus eius proprius* aut *aliud* productum mediante illo actu voluntatis, v. g. actus elicitus ab alia facultate sub imperio voluntatis. Uterque effectus dicitur voluntarius. Præterea uterque effectus est *objectum* voluntatis, quod ideo vocatur *volitum*. Omne voluntarium est volitum. Sed notandum est voluntarium non esse idem ac volitum; nam plurima objecta sunt *volita* quæ non sunt *voluntaria*, v. g. pluvium est volitum agricolæ sed non est voluntarium ei, utpote non effectum ab ejus voluntate. Ergo non omne volitum est voluntarium.

A principio intrinseco, i. e. solum id quod ortum suum habet ab appetitu proprio interno alicujus agentis, dicitur voluntarium ei. Hoc requisitum excludit *violentum.* Quidam effectus physici producti a Petro debent originem vi physicæ ab extrinseco illatæ corpori Petri, et nullo modo innato appetitui Petri. Nequeunt dici voluntarii Petro.

Cum cognitione finis, quatenus nempe voluntarie agens non ex motu interno mere naturali, sed ex appetitu *elicito* agat. "Cujus principium est in agente sciente singula in quibus est ipse actus." Arist., 3 Eth., c. 1. Numquam dicuntur res naturales vel etiam vegetalia *voluntarie* agere, quia cum desit eis cognitio, omnes eorum actus cum omnimoda uniformitate ponuntur.

Minus proprie applicatur hæc denominatio actibus animalium irrationabilium. Etsi gaudeant quadam spontaneitate, et habeant aliqualem cognitionem finis, in utraque tamen valde deficiunt.

Proprie et stricte dicitur voluntarium "id quod procedit a voluntate illuminata intellectuali cognitione finis, objecti et circumstantiarum."

"*Ad hoc quod fiat aliquid propter finem requiritur cognitio finis aliqualis. . . . Unde cum homo maxime cognoscat finem sui operis et moveat seipsum, in ejus actibus maxime invenitur voluntarium.*" S. Thom., *l. c.*

Ut aliquid dicatur *voluntarium* Petro, debet posse *Petro* tribui singulari prorsus sensu; nam 1⁰ debet esse *ipsius Petri,* non tantum actionis transmissæ per Petrum, *effectus;* 2⁰ debet esse a Petro agente in finem *in ipso* habitum per cognitionem; 3⁰ debet esse *ipsa finalitas ut talis in Petri cognitione agnita.*

Relate ad tertiam istam conditionem veræ voluntareitatis, notare debemus:

1⁰ Voluntarium in proprio sensu includit actus quosdam necessarios—amorem beatificum et desiderium beatitudinis; nam definitio data verificatur in iis. Cf. Suarez, Tr. II, d. 1, s. 3, n. 11; Joannes a S. Thom., Q. 6, d. 3, a. 2, n. 30. Cf. Frins.

2⁰. Agnitio finis ut talis sufficienter explicatur in casu *actus voluntatis eliciti* per quamdam reflexionem virtualem. "Ita immediate procedit a principio intrinseco ut sit volitus per reflexionem virtualem." Cf. Suarez, *De Voluntario.*

3⁰. Prout prædicamus voluntarium de actibus hominis viatoris bene dicitur cum S. Thoma perfectum voluntarium inveniri in actibus liberis. Cf. Bucceroni, *Comment.*

Divisiones:

A) **Perfectum,** quod cum plena cognitione et pleno consensu fit.

Imperfectum, quod aut cum obscura cognitione aut imperfecto consensu fit.

(Ita auctores communiter, quamvis apud S. Thomam et alios plures, voluntarium perfectum significat voluntarium proprium homini, i. e. *maxime* voluntarium.)

B) **Simpliciter,** quod est *absolutum* et *efficax;* et subdividitur in *purum* et *mixtum* prout sine repugnantia vel cum repugnantia actus ponitur.

Secundum quid, quod est simpliciter involuntarium, et solum *inefficaciter* et *conditionate* voluntarium; proinde est mera velleitas.

Ab hoc communiori usu hodierno, juxta quem **"simpliciter"** denotat actualem positionem effectus qui dicitur voluntarius et præscindit a præsentia vel absentia inclinationum oppositarum, dum *"secundum quid"* voluntarium importat meram inclinationem inefficacem voluntatis, discrepat antiquior significatio hujus partitionis, juxta quam *voluntarium simpliciter* est id quod fit sine repugnantia, *voluntarium secundum quid* est voluntarium quod habet adjunctam aliquam repugnantiam. Ita sæpe S. Thomas; et videtur hic usus terminorum magis logicus, quia in illo adhibentur "simpliciter" et "secundum quid" de eodem subjecto, i. e. de ipso effectu. E contra modernus usus confundit subjecta, nam *"voluntarium simpliciter"* denotat effectum, et *"voluntarium secundum quid"* importat solum motiones inefficaces.

Attamen, ut vitetur ambiguitas, forsan melius erit loqui de *voluntario puro*, *voluntario mixto*, et *velleitate.*

C. **In se:** Effectus voluntatis prævisus et immediate volitus.

In Causa: Effectus voluntatis prævisus, qui etsi non immediate volitus, eo sensu tribuendus est voluntati quod oritur ex immediate volito aut connectitur cum ipso.

Immediate volitum, seu directe terminans actum voluntatis potest intendi aut ut finis aut ut medium, ergo *"immediate"* definitionis non sumitur ad excludendum medium sive in ordine executionis sive in ordine intentionis. Sic v. g. si Petrus ambulat ut conservet valetudinem, immediate vult tum valetudinem tum deambulationem. Utraque est voluntaria in se. Plura de hac divisione in sequenti numero.

D. **Actuale** ita vocatur quia intentio voluntatis hic et nunc elicita illud causat: **virtuale,** eo quod prævia intentio nunc causaliter influit; **habituale** vero a voluntate prævia non influente sed non revocata; **interpretativum** quod judicatur adfuturum fuisse si cognovisset agens aliquam circumstantiam; **præ-**

sumptum, quod judicatur adfuisse, etsi non mihi notificatum; **tacitum,** quod habitum est sed nullo signo positivo expressum.

De variis significationibus *Interpretativi*, cf. Frins, I, p. 249; Baller.-Palm., I, n. 30 sqq.; Walsh, n. 83-86; Bouquillon, n. 323, not. 2; Suarez, De Vol. et Invol., D. 1, s. 4, n. 4. Juxta hos, definitio nostra est *Interpretativi stricte dicti* seu *conditionati*, et supponit nullam fuisse actualem intentionem sed potius id quod dicitur interpretative voluntarium illud est quod agens censetur debuisse velle si circumstantiæ ipsi cognitæ essent. Locum habet præsertim in epikeia et in licentiis præsumendis. Etiam adhibetur in materia justitiæ. Notandum tamen est non sufficere ad *validandum* actum pro cujus validitate requiritur influxus positivus vel actus superioris annuentis.

Latiori sensu quandoque adhibetur Interpretativum pro *absolute* præsumpto seu pro voluntario quod præsumitur (i. e. conjecturaliter judicatur) revera adesse. Voluntarium *tacitum* est species hujusmodi præsumpti voluntarii. Si revera existit voluntarium objectivum, inservit etiam ad validandum actum pro cujus validitate requiritur, sed in his quæ spectant validitatem, respiciendæ sunt dispositiones legis positivæ. Ita v. g. C. 878 exigit jurisdictionem scripto vel verbis expresse concessam ad validé audiendas confessiones, quamvis ex natura rei sufficeret certo præsumpta vel tacita. Iterum sunt casus in quibus lex ipsa supplendo validat actus qui de se essent invalidi, ut ex C. 209 constat.

E. **Positivum,** quod est a voluntate agente.

Negativum, quod est a voluntate non agente.

Plures post S. Thomam hanc distinctionem eamdem ac "*Directum et Indirectum*" intelligunt. Juxta alios "Directum et Indirectum" idem sonant ac "In se et in causa."

Thesis I

Ad constituendum aliquem effectum voluntarium in causa tres conditiones requiruntur et sufficiunt, sc. (1) ut sit aliquomodo prævisus, (2) ut sit evitabilis (3) ut spectata ejus connexione cum causa, sit evitandus.

Voluntarium in causa: Effectus aliquis malus actionis qui superadditur fini alicui primario operis et qui censetur moraliter tribuendus agenti, quamvis forte non sit objectum immediate volitum ab ipso, seu terminans actum voluntatis.

Perpendenda sunt singula in hac definitione voluntarii in causa:

(1) Debet esse *effectus* seu aliquo sensu ortum ducere ex nostra actione humana, nam secus prorsus careret fundamento denominationis "voluntarii."

(2) Semper præsupponit alium finem operis in actu a nobis posito; nam si esset *solus* finis operis nostri scienter et libere positi, totus quantus est *in se* appeteretur.

(3) Debet esse *malus*, nam boni effectus non in se voliti non attribuuntur nobis.

(4) Fieri potest ut effectus in causa voluntarius sit *etiam in se* voluntarius, eo quod voluntas agentis positive extendatur ad hujusmodi effectum secundarium.

(5) Ut vero sensu sit voluntarius, debet esse imputabilis agenti. Pauci, ut Amicus, aliter loquuntur. Includunt enim ea quæ mere permittuntur sub "voluntario permissivo," ut aiunt. Sed quæ mere permittuntur nequeunt ideo dici volita, neque, a fortiori, voluntaria. Cf. Tepe, I, n. 9.

Conditiones: Nisi omnes tres verificantur, effectus non dicitur voluntarius in causa.

(1) *Prævisio:* nam nihil volitum quod non cognoscitur. Cognitio tamen non est necessario distincta vel certa quoad determinatum effectum; fieri enim potest ut cohibeamur ab actione ponenda propter meram probabilitatem vel periculum, ut in materia justitiæ vel caritatis.

(2) *Possibilitas omittendi causam:* quia effectus qui ex

causa necessaria profluit nequit voluntarius esse. In quonam gradu difficultatis reponenda sit impossibilitas omittendi, nequit determinari sine respectu ad materiam.

(3) *Sufficienter connexus:* Ad valde remotos effectus actionum vitandos non tenemur. Igitur nexus aliquis intimior requiritur ut consequentia mala censeatur nostra. Quia tamen diversi sunt modi quibus malus effectus connectatur cum actione, notanda est hæc divisio:

a. *per se* effectus malus gignitur, quando intrinsece et ex natura sua causa (actio) tendit in istum effectum producendum. In hoc casu actio præcontinet effectum ejusque *causa* est stricto sensu, aut physica aut moralis. Ita v. g. combustio domus est per se effectus applicationis ignis ad eam; imagines turpes per se excitantur lectione vel aspectu vel auditu rerum obscœnarum; iussio, preces, concilia per se impellunt ad actiones quas moraliter causant.

b. *per accidens* sequitur effectus malus quando actio de se non tendit in effectum sed in talibus adjunctis ponitur ut aliquid conferat ad effectum. Revera effectus non continetur in actione ut in naturali sua causa, ut patet in largitione eleemosynæ, occasione cujus recipiens eam se inebriat. Collatio est in se prorsus indifferens ad ebrietatem. Similiter actus se inebriandi est causa per accidens blasphemiæ vel fornicationis futuræ. Nexus haberi potest sufficiens ex lege prohibente actum intuitu istius effectus mali, ut in casu scandali vel occasionis proximæ.

Nota: ***Certa et communis*** inter theologos.

Prob.: (1. Requiruntur). Ut aliquid dicatur voluntarium in causa, debet esse (1) cognitum, (2) libere admissum, (3) non legitime et rationabiliter mere permissum.

Atqui effectus cui deest quævis ex conditionibus recensitis non est talis.

Ergo talis effectus non est voluntarius in causa.

Ad Maj. Cognitio et libertas necessaria sunt elementa voluntarii: illud vero quod solum toleratur ob sufficientes rationes, ut peccata a Deo, nequit dici voluntarium agenti.

Ad Min. (1) Quod non est prævisum non cognoscitur.

(2) Si causa nequit omitti, effectus non libere sequitur.

(3) Si quis non tenetur evitare effectum, legitime et rationabiliter potest permittere illum.

(2. Sufficiunt). His tribus impletis, cognoscenter et libere ponit actum quem caritas vel alia lex prohibet præcise intuitu istius effectus. Atqui talis agens recte dicitur voluntarie admittere effectum malum. Ergo effectus est voluntarius in causa, quando implentur hæ conditiones.

Conferantur: Suarez, *De Vol.*, D. I, s. 4, nn. 8, 9; Bouquillon, n. 322; Walsh, n. 59; Frins, I, nn. 185–200.

Bene notandum est monitum Suarezii (De Vol. D. 4, n. 11): "Ex quo intelligitur, ad hoc voluntarium non satis esse quodcunque præceptum quod sit veluti extrinsecum et per accidens ratione talis operationis, sed necessarium est præceptum, quo quis teneatur vitare, ne inde sequatur alius effectus, quia hujusmodi præceptum est quod facit moralem mutationem in objecto, et non quodlibet aliud." Cf. S. Alph., l. 4, nn. 482–484; Tepe, n. 12.

Corollarium. Applicando eadem principia, Auctores communiter statuunt sequentes conditiones ut requisitas et sufficientes ad licite agendum quando duplex extiturus sit effectus, alter bonus, alter vero malus:

1° ut causa sit bona vel saltem indifferens;

2° ut effectus bonus saltem æque immediate sequatur ac malus;

3° ut adsit ratio relative gravis ad effectum malum permittendum;

4° ut finis agentis sit honestus.

De 1ª conditione et de 4ª res est clara, nam semper illicite quis poneret causam de se malam, sicut et semper illicite actus voluntatis terminaretur ad malum. Præterea, illud malum quod est medium ad bonum, cum constitueret proximiorem finem operis, eo ipso voluntarie admitteretur ut finis operantis ab eo qui cognoscenter ageret. Non esset mera permissio sed voluntaria procuratio ad aliquem ulteriorem effectum. Tandem quoad 3ªm conditionem, ipsa naturalis æquitas dictat mala esse vitanda quoties id sine proprio damno proportionate gravi possit fieri. Quare, habitis aliis prærequisitis, hæc tertia conditio sæpe est relinquenda judicio prudentum sed de eo formando regulæ sequentes adjuvare possunt:

Si ratio agendi est tam gravis, ut spectata lege generali evitandi malum, et quibuscumque legibus particularibus quæ has circumstantias possint attingere, adhuc prævaleat, licet actionem istam ponere, utendo jure suo.

1. Eo minor est ratio permittendi, quo intimior est nexus inter actum (causam) et effectum malum: i. e. difficilius est admittenda actio ex qua *per se* sequitur effectus indirectus malus, quam si tantum *per accidens* sequeretur; v. g. minor necessitas permittit venditionem liquoris ei qui se inebriabit, quam permittit excisionem tumoris ex qua sequetur abortus.

2. Eo minor est ratio permittendi, quo minuitur probabilitas ejusdem mali effectus patrati ab alia causa; v. g. scindere licet membranum ad baptizandum fœtum, quando mors certo imminet ex conditionibus naturalibus.

3. Eo minor est ratio permittendi, quo major est gravitas mali; v. g. spirituale malum exigit majorem rationem quam temporale, universale malum quam particulare.

4. Eo minor est ratio permittendi, quo minor est utilitas boni effectus.

Bene tamen notandum est

1° has et similes considerationes *seorsim sumptas* non sufficere ad determinandum cursum actionis in casu concreto, sed necessariam esse applicationem omnium et etiam aliarum quæ forsan locum habeant;

2° in singulis *contraria* etiam valere; v. g. eo major est ratio permittendi quo minus intimus est nexus, etc.;

3° *numerum* rationum favorabilium pro una parte nullatenus determinare rem in favorem istius partis; accidere enim potest ut *una ratio* prævaleat pluribus;

4° extensionem boni vel mali mensurandam esse non solum ex eo quod in hoc individuali casu accideret, sed ex eo quod sequeretur ex permissibilitate vel cohibitione actionis talis in genere.

CASUS

De Voluntario in Causa

I. Titius bibit ob solam voluptatem et sequitur ebrietas quam præviderat sed non intenderat expresse.

℟. Censendus est reus ebrietatis in causa. (W. 89.)

II. Caius suscipit munus medici et advertit se carere scientia

omnino requisita. Plurima detrimenta contingunt patronis quin distinctius prævideat particulare periculum damnificandi in singulis casibus.

℟. Omnia ista damna sunt voluntaria in causa Caio, nam sufficit *confusa* ista cognitio incapacitatis in genere quin distincta singulorum periculorum requiratur cognitio. (W. 94.)

III. Venator nullo modo advertens ad periculum hominis occidendi sed summe negligens explodit sclopetum in objectum quod judicat esse feram, hominemque occidit.

℟. Non est sufficiens cognitio ad reddendam illam occisionem voluntariam in causa; inadvertentia enim ad actuale periculum, privat venatorem ipsa potentia prævidendi. (W. 165-199.)

IV. "Si homo aliquoties expertus sit solere se oblivisci alicujus Horæ quando consueto tempore illam non recitat, vel quando aliis negotiis vel studiis nimis occupatus est, prævenire debet modum aliquem vel signum quo memoria excitetur, et tunc, si per negligentiam hoc omitteret, posset illi ad culpam imputari oblivia. Potest autem hæc ipsa occasio, seu necessitas hujusmodi præventionis, facile propter solam inadvertentiam omitti." Suarez, *De Relig.*, Tr. IV, l. 4, c. 28, n. 4.

V. a) Superior, fungens officio, corripit subditum, prævidens illum in blasphemias erupturum.

b) Chirurgus vel confessarius legit libros utiles quamvis prævidet motus inordinatos orituros ex lectione.

℟. In utroque casu agens prosequitur jus suum. Neque blasphemiæ neque motus (dummodo absit periculum proximum consentiendi) sunt voluntarii in causa. Causa non est evitanda intuitu istorum effectum. Cf. S. Alph. II, 2. n. 14, 2^0.

VI. Commodo gladium Petro, prævidens illum eo abusurum ad occidendum inimicum.

℟. Virtus caritatis prohibet commodationem in adjunctis in quibus scandalum eris Petro, et virtus justitiæ prohibet istam cooperationem ad homicidium.

Attamen leges prædictæ non urgent *universaliter*. Si omnis effectus malus prævisus cohiberet usum proprii juris vita esset impossibilis.

VII. Petrus se inebriat prævidens periculum homicidii inde oriturum.

℟. Committit peccatum homicidii in causa. (W. n. 192; Laymann I, 2. c. 3, n. 5.)

VIII. Injuste incarceratus, ad libertatem recuperandam, fugam capit ineundo magnum periculum amittendi vitam.

℟. Si valde dura esset pœna aut ob diuturnitatem aut ob crudelitatem, proportionata causa haberetur.

IX. Detentus in carcere recusat constanter cibum ut hoc actu convertat animos in causam suam et ita terrorem injiciat custodibus qui probabiliter liberabit eum antequam moriatur.

℟. Effectus bonus tam magni momenti esse potest, spes successus tam probabilis, ut licitum sit jejunium protractum etiamsi involvat debililatem extremam quæ ipsam mortem inducit.

X. Titius vult publici juris facere prophylaxim contra morbos venereos contrahendos. Ex una parte prævidet hanc publicationem constituturam esse incitamentum ad tuto peccandum; ex altera parte non solum invitatur a certa spe magni emolumenti sed hoc modo suppeditabitur honestis uxoribus et proli protectio contra pestiferam luem.

℟. Si revera adjuncta talia sunt ut divulgatio incitaret plures ad peccandum, non debet manifestare. Tale enim damnum publicum spirituale non posset compensari privato suo emolumento vel temporali utilitate. Quia tamen multi illud unguentum adhibebunt sine multiplicatione peccatorum et relative pauci sunt qui efficaciter cohibebuntur a peccato defectu ipsius, mitius judicandum est vel saltem dubitandum de lege prohibente in concretis circumstantiis.

"Quæritur. 1. Utrum necne formaliter peccet, qui ante fornicationem, unguentum antisepticum adhibet ut a contagio immunis sit;

2. Utrum usus istius unguenti suaderi possit necne;

3. Utrum pharmacopolæ unguentum istud venale habere liceat necne?

℟. Ad 1. Quamvis ut videtur (cf. *Times*, Jan., 1917), in Anglia quidam Anglicani scrupulose distinxerint inter usum qui peccatum præcedat et illum qui sequatur, et priorem prohibuerint, alterum approbaverint, ambigendum non est quin etiam a peccaturo factam unctionem formaliter inculpatam dicas. Casum non attingimus feminæ quæ unctione hujusmodi copulam paret infecundam.

Mala profecto est fornicationis intentio; sicut semper malum est peccare et velle peccare; sed malum non est peccando simul quærere media, in se indifferentia, vitandi damnosas peccati sequelas.

Ad 2. Peccaret sane qui, revelando medicinam vel usum suadendo,

quempiam ad peccandum induceret ; sed nihil obstat quin ei qui peccare proposuit medium indices quo minore corporis detrimento peccet.

Ad 3. Venditio sane detrectanda foret, si homines hac ratione fornicatione abstinerent. Sed tot sunt qui se periculo contagii exponunt, ut talis fructus e negata venditione sperari nequeat. Rursus id dissimulandum non est : facilis copia præservantis medicinæ pluribus timorem fornicationis auferet. Sed cum lues venerea non soli peccanti sed pluribus quoque innocentibus impendeat, ita ut malum commune vocari queat, justissima causa habetur hanc plurium tentationem permittendi. Ceterum exigua honestas est ejus qui sola morbi formidine a peccato retrahatur. Addas remedium istud etiam conjugibus prodesse posse, ita ut ejus usus actionem prorsus honestam comitetur." (Vermeersch, "De Castitate," n. 321).

DE IMPEDIMENTIS VOLUNTARII

Inter causas quæ aut tollunt rationem voluntarii in aliquo actu aut eam modificant sive augendo sive minuendo voluntareitatem, imprimis enumerari debent (1) **ignorantia** ex parte intellectus, (2) **concupiscentia** et (3) **metus** ex parte voluntatis. Sunt porro hæ causæ inimici domestici, quatenus influxum exercent in ipsos actus elicitos voluntatis. Datur etiam hostis externus qui (4) **violentia** seu **vis** nominatur, quæ nequit ipsam voluntatem afficere sed coactive influit in actus aliarum facultatum contra imperium voluntatis.

DE IGNORANTIA

Ignorantia: ***Carentia scientiæ debitæ.***

I. ***Inculpabilis*** (***Invincibilis***): ***Nequit superari.*** (***Oblivio, Error, Inadvertentia***).

Culpabilis (***Vincibilis***): ***Affectata—studiose quæsita.***
Crassa—ex negligentia omnimoda.
Simpliciter Vincibilis — ex negligentia sufficientis inquisitionis.

II. ***Antecedens:*** ***Non causata a voluntate sed causans actum alium.***

Consequens: ***Supponit actum voluntatis saltem indirecte causantem.***

Concomitans: ***Neque causata ab actu voluntatis neque causans.***

III. ***Juris:*** ***Existentiæ legis vel præcepti.***
Facti: ***Circumstantiæ pertinentis ad applicationem.***

Thesis II

Ignorantia antecedens omnino tollit voluntarium; consequens vero non tollit, sed (nisi sit affectata) minuit voluntarium prout minor est culpabilis negligentia.

Ia, Iæ, Q. LXXVI, aa. 1, 2, 3, 4.
Wirceb. De Act. Hum., nn. 76-79, incl.

Definitio: *Ignorantia est carentia scientiæ debitæ.*

Est igitur *privatio*, seu defectus scientiæ in subjecto apto ad eam habendam, dum *nescientia* dicit simplicem scientiæ negationem. (S. Th. I, II, q. 76, a. 2, in corp.) In hac definitione "debitæ" significat scientiam "eorum quæ aptus natus est scire." Homo recte dicitur *nescire* futura libera, sed non *ignorare* ea.

Alii dant genericam definitionem et dividunt in species positivæ et negativæ ignorantiæ.

Divisio: 1. *Invincibilis* est ea quam quis nequit superare. Est *inculpabilis*, nam ad impossibile nemo tenetur. Impotentia deponendi istam ignorantiam est aut physica aut saltem moralis; sacerdos igitur qui nequit invenire solutiones casuum difficiliorum nisi reducendo se ad paupertatem, emendo libros et itinera suscipiendo, laborat ignorantia invincibili.

Oblivio, error et inadvertentia perfecta, quando sunt inculpabiles, æquiparandi sunt tali ignorantiæ. (Cf. Can. 2202, § 3: "*Quæ de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia et errore*").

Vincibilis ea est quæ potest et quæ debet superari. Statim apparet hanc ignorantiam esse *culpabilem*. "Manifestum est autem quod quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum quæ aliquis scire tenetur est peccatum." S. Th. *l. c.*

Iterum dividitur hæc ignorantia vincibilis in a) *affectatam*, b) *crassam* vel *supinam* et c) *simpliciter vincibilem*.

a) *Affectata* ea est quæ studiose quæritur, ut accidit quando quis consulto negligit media inveniendi veritatem præcise ut maneat in ignorantia. "*Qui dixerunt Deo: Recede a nobis*,

et scientiam viarum tuarum nolumus." Job. 21, 14. Ita etiam qui torqueret textum "*peccatum non cognovi nisi per legem*" ad liberius peccandum, directe intenderet ignorantiam ob malum finem. Peccatum ejus esset ratione ipsius negligentiæ comparandi scientiam quam debet habere. (Frins I, n. 318).

b) *Crassa* vel *Supina* nominatur quæ fructus est *negligentiæ omnimodæ* seu *quæ oritur ex neglectu adhibendi ulla media seria ad veritatem cognoscendam.* Differt ab *affectata*, quatenus non directe suscipitur ad *evitandam* cognitionem veritatis; concordat cum ea in quantum *prorsus* negligitur inquisitio veritatis.

c) *Simpliciter vincibilis* ignorantia habetur quando quis quædam media adhibet sed *culpabiliter omittit sufficientem inquisitionem.*

2. *Antecedens* ignorantia dicitur quæ nullum prævium voluntatis actum circa eam elicitum vel in eam indirecte terminatum habet, quæque ita causaliter in alium actum influit ut hic sine ea non existeret. Semper *inculpabilis* est et *invincibilis*, ut ex definitione patet.

Consequens est quæ supponit actum voluntatis saltem indirecte exercitum in eam et in effectum. *Vincibilis* est et *culpabilis.*

Concomitans ignorantia, utpote neque causans actum voluntatis, neque ab actu voluntatis causata, mere accidit, ac proinde negligi potest in imputabilitate computanda, nisi in quantum *ignorantiæ antecedentis* unum elementum comprehendat. (Cf. Lehmkuhl, *Casus*, I, n. 20 et sq., et compara casum alicujus qui comburit domum ad occidendum inimicum qui *forte* ibi sit. In utroque casu est ignorantia concomitans; in priore habetur admixtio *antecedentis*, quatenus invincibiliter ignorat ex inadvertentia naturam actus).

3. Ignorantia *juris* seu *legis* est qua quis ignorat ipsius legis vel præcepti existentiam.

Ignorantia *facti* denotat carentiam scientiæ de aliqua circumstantia pertinente ad applicationem legis.

Adversarii:

Contra primam partem.

Baiani tenuerunt violantem legem naturæ ex invincibili ignorantia, reum esse peccati formalis. (*Cf. prop. 2 damnatam*

ab Alexandro VIII, Dec. 7, 1690, Denz. 1292, "Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.")

Jansenius etiam scripsit: *"Legis naturalis ignorantia . . . sive sit invincibilis, non excusat a peccato delinquentes," August.* c. 5. Et in *L. 2, De Statu Naturæ* tenuit oppositam doctrinam esse *"dogma fidei et extra controversiam."*

Antea Lutherus scripserat: *"Falsa est illa celebris Scholasticorum sententia de ignorantia invincibili excusante." C. 12, Genes.*

Ratio cur locuti fuerint præsertim de lege naturæ est quia hanc ignorantiam tamquam pœnam peccati originalis in Adamo nobis voluntariam statuerunt.

Contra secundam partem.

Petrus Abelardus docuit omnem ignorantiam excusare a peccato. (*Cf. Abelardi errores damnatos ab Innoc. II, in Concil. Senonensi, an. 1140, apud Denz. 377: "Quod non peccaverunt, qui Christum ignorantes crucifixerunt, et quod non culpæ adscribendum est, quidquid fit per ignorantiam."*)

Nota: Quoad ***primam*** partem, Suarez ait (Disp. 4, sect. 2, n. 10 *De Act. Hum.*) *"Ignorantia antecedens causat simpliciter involuntarium respectu actus vel effectus, quatenus ignoratus est. . . . Si in hac conclusione involuntarium sumatur negative seu privative,* ***est res certissima et indubitata in fide."***

Secunda pars est ***saltem certa et communis*** doctrina theologorum.

Probatur:

(*1a pars*) Quod respectu alicujus agentis est voluntarium, procedit ab eo scienter intendente illud aut in se aut in causa.

Atqui agens qui antecedenter ignorat effectum, nequit scienter intendere illum sive in se sive in causa.

Ergo effectus nequit dici voluntarium ipsi.

Ad Maj. Constat ex definitione *voluntarii.*

Ad Min. Constat ex definitione *ignorantiæ antecedentis.*

(*2a pars*) a) *non tollit.* Ignorantia consequens aut est affectata, aut non.

Atqui in utroque casu effectus malus prævisus et ab ea causatus remanet voluntarius agenti. *Ergo*. . . .

Prob. Min. 1) Si ignorantia est *affectata*, effectus malus in se intenditur;

2) Si est *crassa* vel *simpliciter vincibilis*, effectus malus *in causa* est voluntarius quatenus causa potuit et debuit auferri intuitu ipsius.

b) *minuit.* Illud quod *admittitur*, non tam intense quæritur a voluntate ac illud quod directe petitur.

c) *prout minor est culpabilis negligentia.* Ignorantia et malus effectus se habent ut causam et effectum in ordine morali.

Atqui variata causæ voluntareitate, variatur voluntarium in effectu. (Confirm. ex Can. 2199 et 2202).

Difficultates

CONTRA PRIMAM PARTEM

1. Genes. XX. Deus voluit occidere Abimelech quia hic tulerat Saram ignorans eam esse uxorem Abrahæ. *Unde*: Deus non excusavit a peccato quod fiebat ex ignorantia ista.

Atqui peccatum non datur sine voluntario.

Ergo ignorantia ista non abstulit voluntarium.

℟. Ignorantia fuit *vincibilis*, quia non satis investigavit conditionem Saræ; vel, ut putat Cornelius a Lapide, eam invitam tulerat et ideo a Deo puniri meruit; vel, punitio divina statuta fuit conditionaliter, i. e. si non redderet. Quod Abimelech accusavit Abraham inducendi super innocens regnum *peccatum grande*, intelligi potest in ultima hypothesi ex eo quod magnam tentationem supplevit.

2. Num. XXXV, 22. Qui *fortuito* occidit hominem, jubebatur puniri.

Atqui talis ex ignorantia antecedenti peccavit. *Ergo*. . . .

℟. Ob negligentiam aliquam juridicam, quæ in foro civili solet puniri ob præsumptionem culpabilis negligentiæ.

3. Ps. XXIV: "Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris." Luc. XII. Pœna infligitur in servum qui transgressus est ex ignorantia.

℟. In utroque casu, quæstio est de ignorantia culpabili. Ita S. Th. in *Cat. Aur.*: "Cur punitur ignorans voluntatem Domini?

Quia cum ipse scire potuisset, noluit, sed pigritans ipse fuit ignorantiæ causa."

4. S. Augustinus, *De Gratia et Lib. Arbit.* c. 3: "Ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet."

℟. Loquitur de ignorantia vincibili etsi non affectata. Dicit enim reos esse non tantum scire *nolentes*, i. e. studiose evitantes, sed et eos qui *tamquam* simpliciter nescientes non *audierunt*. Non includit eos qui *vere* simpliciter nescientes non potuerunt ob ignorantiam suam prorsus inculpabilem audire. Audiatur idem Augustinus in L. III, *De Lib. Art.*, c. 9: "Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras."

5. Ignorantia juris naturalis est pœna peccati.

Atqui actus cujus causa est pœna peccati non excusatur propter talem causam.

Ergo violatio legis naturalis est inexcusabilis ex eo quod causatur ab ignorantia.

℟. *Dist. Maj.* Est sola pœna, *N.* etiam, *C. Nego Min.* Absurde enim sequeretur omnem ignorantiam etiam juris positivi et facti esse culpabilem, omnesque motus concupiscentiæ esse peccata quia tribuenda sunt alicui pœnæ peccati.

6. Quæ fiunt ex ignorantia invincibili juris naturalis sunt voluntaria in causa (in peccato Adami) sicut homicidium commissum in ebrietate et prævisum est voluntarium in causa.

℟. *Dist.* Sunt voluntaria in causa illi qui prævidendo effectum vitandum, ponit causam, *Tr.* illi qui non prævidendo agit, *N.* (*De aliis* cf. Wirc., *De Act. Hum.*, nn. 91, 92, 93; Muszka, nn. 63, 64).

CONTRA SECUNDAM PARTEM

1. Etiam qui ponit actum ex ignorantia consequenti et vincibili non prægnoscit effectum, secus non ageret. (Ex ipsa definitione ignorantiæ consequentis).

Atqui effectus non prægnitus non est voluntarius.

Ergo ignorantia consequens penitus tollit voluntarium.

R. *Dist. Maj.* Non præcognoscit clare et in individuo et cum certitudine, *Tr.* non sufficienter et in confuso prævidet saltem periculum quod potest et debet præcavere, *N.* (Cf. Wirceb. *l. c.* n. 86).

Scholion

In determinanda imputabilitate actus criminosi nequeunt legislatores vel judices humani prorsus negligere influxum ignorantiæ, si ad tramites legis naturalis statuta velint condere et sententias ferre. At nemo non videt quam difficile sit in foro externo genuinam ignorantiam a simulata discernere, invincibilem a vincibili, et præsertim inter varios gradus culpabilitatis lineam ducere. Quapropter codices tum civiles tum canonicus speciales continent directiones de hac re.

In nostra regione ignorantia juris generatim non excusat a pœnis, sed ignorantia facti, si tangit ipsam essentiam delicti, favere potest reo. "There is no presumption in this country that every person knows the law. The maxim 'ignorantia juris haud excusat,' is said to be a slovenly way of stating the truth that ignorance of the law is not in general an excuse."

"It is generally well established that ignorance of facts is a defense, where knowledge of certain facts is essential to an offense, but no defense where a statute makes an act indictable, irrespective of guilty knowledge." Bouvier's Law Dictionary, *Ignorance.*

Jus canonicum, mitiore modo tractat ignorantiam, etiam culpabilem, quæ tamen probari debet. "*Ignorantia vel error circa legem vel pœnam generatim non præsumitur.*" C. 16, § 2. Similiter in C. 2200, § 2, "*Posita externa legis violatione, dolus in foro externo præsumitur, donec contrarium probetur.*"

Sancit in genere principium legis naturalis de proportione servanda inter voluntarii gradum et mensuram imputabilitatis. "*Omnes causæ quæ augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem.*" C. 2199.

Ex aliis canonibus hæc particularia colliguntur:

a. Habitualiter amentes præsumuntur incapaces delicti. (C. 2201, § 2).

b. Ebrietas perfecta et involuntaria tollit,
perfecta et voluntaria minuit,
imperfecta minuit,
affectata auget. (C. 2201, § 3).

c. Ignorantia legis inculpabilis tollit,
culpabilis minuit,
pœnæ solius aliquantum minuit. (C. 2202).

d. "*Non solum quæ ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quæ a gravi, excusant pariter a qualibet pœna tum latæ tum ferendæ sententiæ etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur.*" (C. 2218, § 2).

e. A pœnis latæ sententiæ,
Affectata (sive legis sive solius pœnæ) non excusat;
Quævis alia excusat, si lex habet verba "scienter," etc.
Quævis alia præter crassam vel supinam excusat ab omni medicinali, non a vindicativis. (Cf. C. 229, et Sole, *De Delictis et Pœnis*, n. 114, not. 1).

DE CONCUPISCENTIA

Thesis III

Concupiscentia antecedens, ut talis, auget voluntarium sed minuit liberum; consequens vero, in quantum talis, potius manifestat voluntarium et liberum.

Ia, IIae, Q. 77.

Definitio: *Concupiscentia est motus appetitivæ virtutis sensibilis.*

Prout sumitur in thesi non est *fomes peccati*, sed æque ferri potest in honesta et inhonesta; neque est *specialis passio* sed includit omnem motum sensibilem appetitivum saltem prosequutivum boni.

Divisio: *Antecedens* est motus qui oritur antecedenter ad actum voluntatis circa eam, ut v. g. ex dispositione corporis, vel ex subita commotione vel ex hæreditaria aliqua inclinatione intensiore.

Consequens est quæ sequitur actum voluntatis tamquam effectus ejus. Duplici modo diverso potest passio oriri ex voluntatis actu præcedenti; 1°, *per modum redundantiæ* seu naturalis consequentiæ, et 2°, *per modum electionis* quatenus voluntas deliberate excitat passionem. (Cf. S. T., *l. c.*, art. 6, *Respondeo*).

Nota: ***Prima pars*** est ***multo probabilior,*** contra quosdam (ut Vasquez et Arriaga) qui volunt identificare *voluntarium* et *liberum.*

Secunda pars est ***certa.***

Tertia pars est ***certa.***

Probatur: *1a pars* (*antecedens auget voluntarium*). Aliquid eo magis est voluntarium quo intensius efficitur a voluntate.

Atqui id quod voluntas efficit sub impulsu concupiscentiæ majore impetu et intensius perficitur.

Ergo illud est magis voluntarium.

Prob. Min. Concupiscentia facit ut intellectus proponat objectum ut magis concupiscibile.

2a pars (*antecedens minuit liberum*). Liberum est quod procedit a voluntate cum deliberatione et indifferentia.

Atqui concupiscentia minuit indifferentiam impediendo deliberationem. *Ergo* minuit liberum.

Prob. Min. "Impedit autem tripliciter; primo quidem per quamdam distractionem, sicut supra explicatum est, art. præc.; secundo per contrarietatem, quia plerumque passio inclinat ad contrarium hujus quod scientia universalis habet; tertio per quamdam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne libere in actum exeat; sicut etiam somnum vel ebrietas, quadam corporali transmutatione facta, ligat usum rationis." S. T., I, II, q. 77, a. 2, in corp.

3a pars (*consequens manifestat*). "Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in *quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.*" S. T., *l. c.*, a. 6, in corp.

Difficultates

CONTRA PRIMAM PARTEM

1. Concupiscentia causat involuntarium secundum quid sicut metus. *Ergo* minuit voluntarium.

℟. *N. paritatem.* Ex natura sua *metus* supponit nolleitatem dum agit et repugnantiam. Concupiscentia *per se* non supponit hoc, nam ejus objectum est bonum. Cf. S. T., I, II, q. 6, a. 7 ad 2; Suarez, *De Act.* Disp. 3, Sec. 4, n. 4.

2. Concupiscentia minuit *esse ab intrinseco cum cognitione. Ergo* minuit voluntarium.

℟. *Dist.* Quoad *liberum C.* quoad *voluntareitatem, N.* Cf. Casajoana, p. 290.

3. Ex auctoritate S. Thomæ. "Passio minuit peccatum *in quantum minuit voluntarium.*" *L. c.* art. 6, in corp.

℟. Sumit voluntarium pro libero, ut patet ex contextu. Dat enim ut rationem "quia peccatum essentialiter consistit in actu liberi arbitrii, quod est facultas voluntatis et rationis."

Eodem sensu Canon 2206 dicit concupiscentiam minuere imputabilitatem: "Passio, si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget; secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis æstu; et omnino tollit si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum præcedat et impediat."

DE METU

Metus: Trepidatio ob malum futurum.

I. Antecedens: ob quem agitur.
Concomitans: cum quo agitur.

II. Levis: ex malo levi aut parum probabili.
Gravis: ex malo gravi et certo vel valde probabili.
a) Absolute: quoad quemvis.
b) Relative: quoad hunc individuum.
Reverentialis: ex seria indignatione superiorum.

III. Intrinsecus: ex subjecto.

Extrinsecus: ab externa causa { *necessaria* / *libera* { *juste incussus* / *injuste incussus*

Principia

I. Etiam gravis ordinarie non tollit voluntarium; sæpe tamen secum fert involuntarium secundum quid, et proinde minuit voluntarium et liberum et peccatum. C. 103, § 2.

II. Generatim gravis etiam relative excusat a lege humana. C. 2205, § 2.

III. Non excusat a lege naturali sed minuit imputabilitatem. C. 2205, § 3.

IV. Saltem ex jure positivo invalidi sunt:

a. Consensus matrimonialis datus ex metu gravi ab extrinseco et injuste incusso. C. 1087, § 1.

b. Ingressus in novitiatum quando aut ingrediens metu gravi inducitur aut superior metu gravi inducitur recipere. C. 542, § 1.

c. Quævis professio religiosa metu gravi facta. C. 572, § 1.

d. Votum metu gravi et injusto emissum. C. 1307, § 3.

e. Renunciatio officii ex metu gravi injuste incusso. C. 185.

Metus definitur *trepidatio mentis ob periculum instans vel futurum.*

Trepidatio mentis: i. e. perturbatio facultatis appetitivæ. Ipsa voluntas a malo intellectualiter apprehenso percellitur; datur etiam passio metus vel timoris in parte sensitiva. Cf. Bouquillon, n. 333.

Periculum instans: i. e. malum quod imminet; si esset *præsens*, produceret *tristitiam*, non metum.

Metus *antecedens* is est qui causaliter influit in aliquid agendum. Dicitur actio tunc fieri *ex metu*, ut in exemplo nautæ projicientis merces; motivum quod moraliter cogit actionem est metus submersionis. De hoc metu antecedenti agimus, et sedulo distinguendus est a metu *concomitante*, quo, v. g. fur ingreditur domum vel Christus accedit ad passionem. Hæ actiones ponuntur *cum metu* sed nullatenus causantur ab eo.

Gravis aut *levis* est metus prout malum apprehenditur ut minitans grave vel leve periculum, quod tum a magnitudine periculi tum ab ejus proximitate judicandum est. Gravis est aut *absolute* talis, i. e. qui oritur ex periculo apto ad gravem perturbationem gignendam in quovis viro constanti, et *relative* gravis, seu qui, attenta conditione individui, ad gravem trepidationem causandam sit natus.

Reverentialis dicitur metus qui ex probabili indignatione diuturna parentis, domini vel alius superioris exsurgit.

Si ita definimus, est de se gravis, nam excluditur ex una parte modica ista coactio, suasio vel increpatio paterna quæ nonnisi levem metum aut nullum incuteret et ex alia parte non exigitur timor simpliciter gravis, qui aufugit verbera, exhæreditatem, expulsionem aliaque mala de se graviter coactiva. In metu reverentiali proprie dicto est moralis coactio, manifestata importunis et diuturnis persuasionibus, precibus instantissimis, peculiari indole superioris vel etiam minis. Ex talibus habetur solidum fundamentum apprehendendi futuram indignationem seriam, reprehensiones, aliaque hujusmodi quæ sunt mala gravia. Cf. Bucceroni, *Comment.;* D'Annibale, I, n. 138, not. 16, *Decisiones S. Rotæ, 1912, Decis. 18, 25, 26.*

Ratione causæ dividitur metus in *intrinsecum*, qui ex dispositione subjecti patientis provenit, et *extrinsecum* qui a causa *externa* sive *naturali* sive *libera* procedit.

Plures auctores negligunt distinctionem inter intrinsecum et extrinsecum, et jure, quia eodem modo tractari debet metus a causa *naturali* susceptus, sive sit interna sive externa. Prima igitur distinctio est inter metum *a causa naturali* exortum et metum *a causa libera incussum.* Deinde distingui debet hic ultimus in illum qui *juste* incutitur et alium *injustum.* Uterque potest esse aut (1) *directus* seu ad actionem extorquendam aut (2) *indirectus* seu ab infligente non ad hoc intentus sed qui in patiente causat actionem.

Metus etiam gravis ordinarie non tollit voluntarium. Ratio est quia quantumvis sit turbatus vel impulsus,

ordinarie deliberate et efficaciter *vult* seu determinat se; dicitur tamen *ordinarie* quia sunt casus exceptionales in quibus aufert ipsum usum rationis. **Sæpe tamen secumfert involuntarium secundum quid,** quatenus retinetur deliberata nolleitas, ut in casu projicientis merces; sed *non semper* retinetur hujusmodi affectus, uti constat in exemplo ejus qui ex metu gehennæ obedit legi divinæ. Si enim retineret affectum deliberatum ad oppositum, eo ipso contradiceret sibi et peccaret in ipso actu vitandi peccatum. **Proinde metus minuit voluntarium et liberum et peccatum.** Diminutio tamen ista non tanta est ac in casu concupiscentiæ influentis; quamvis enim sit coactio quædam moralis, non ita obfuscatur intellectus neque allicitur voluntas. Difficilius igitur peccatum mortale fit veniale ex influxu metus.

Jura positiva sequuntur principia juris naturalis jam exposita; sed in quibusdam conclusionibus quæ aut incerta sunt si solum jus naturale inspicitur, aut quæ constituunt ulteriorem determinationem istius legis naturalis, lex positiva expresse statuit effectum juridicum metus. Ita v. g. *Codex Juris Canonici:* "Actus positi ex metu gravi et injuste incusso . . . valent, nisi aliud jure caveatur; sed possunt . . . rescindi." C. 103, § 2. Porro aliud cavetur quando agitur, v. g. de consensu matrimoniali (C. 2087), de professione religiosa (C. 572, § 1, n. 4°), de voto (C. 1307, § 3), de renunciatione officii ecclesiastici (C. 185). In his et similibus casibus notandum est solum metum *gravem* reddere actum nullum.

Civil law also admits that duress weakens or invalidates a deed or contract performed under its influence. "Coke enumerates four instances in which a man may avoid his own act by reason of menaces : For fear of loss of life; of member; of mayhem; of imprisonment. The violence or threats must be such as are calculated to operate on a person of ordinary firmness and inspire a just fear of great injury to person, reputation or fortune. . . . The age, sex, state of health, temper and disposition of the party . . . must be taken into consideration." Bouvier, *Duress.*

Metus intrinsecus vel ***extrinsecus naturalis*** vel ***a causa juste incutiente*** vel ***metus levis*** neque invalidant actum neque rescindibilem faciunt. Aliqui tamen putant metum levem injuste incussum tribuere jus metum passo servandi se indemnem. (Lugo, XXII, s. 7, n. 138). Hoc quidem ex jure naturæ pro foro interno; de metu levi jus positivum non curat. Si vero agitur de metu relative gravi, jura positiva eamdem vim ei

tribuunt ac metui absolute gravi, ut videri potest apud locos citatos ex utroque jure.

Quomodo metus afficiat ***leges ecclesiasticas*** patet ex Canone 2205, § 2, § 3:

"*Metus gravis* etiam relative tantum *plerumque* delictum, si agatur de legibus *mere* ecclesiasticis *penitus tollit.*" Hic agitur de intrinseco et extrinseco quovis; dicitur *plerumque*, quia quandoque superior potest etiam heroicum actum exigere, v. g. ad bonum commune; tandem quæstio hic est de legibus *mere* ecclesiasticis, nam, "si actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticæ auctoritatis vel in animarum damnum, minuit imputabilitatem delicti sed non aufert."

DE VIOLENTIA

Thesis IV

Per violentiam absolutam penitus tollitur actus voluntareitas; contra, minuitur tantum, si violentia secundum quid dumtaxat fuerit.

Ia, IIæ, Q. VI, a. 4

Definitio: "Violentum est quod est ab extrinseco, passo non conferente vim." Arist. *Ethic.* 3, c. 1.

In explicanda hac definitione interpretes conveniunt in *resistentia* subintelligenda ex parte passi. Requirunt scilicet ut violentum opponatur ab appetitu contrario sive naturali sive elicito in subjecto. (Cf. Frins I, n. 247). Proinde definiunt violentum, *quod est a principio extrinseco, renitente passo.* In nostra materia igitur *vis* seu *violentia* est ***"coactio quæ a causa libera et extrinseca alicui infertur, repugnante ejus voluntate."*** Ergo duo sunt requisita, 1⁰ *ut sit a principio extrinseco,* 2⁰ *"ut agens actualiter vel virtualiter reluctetur,* non autem mere negative se habeat; inde est quod parvulorum justificatio non sit violenta, licet proveniat a principio extrinseco." Muszka, L. I, § IV.

Divisio: *Absoluta et simpliciter dicta* violentia ea est quæ exercetur in subjecto quod adhibet omnem conatum ad resistendum quem potest et debet adhibere.

Relativa et secundum quid est ea violentia contra quam patiens non adhibet omnem conatum quem potest et debet.

Nota: ***Certa et communis.***

Sensus thesis: Non est quæstio de actibus *elicitis* voluntatis; hi enim utpote ex principio intrinseco nequeunt simul esse coacti. Essent simul juxta inclinationem et contra inclinationem; homo simul vellet et nollet. Cf. S. Thom. I, II, q, 6, a. 4; S. Aug., L. *De Duabus Animabus,* c. 10: *Invitus faciens cogitur; omnis qui volens facit, non cogitur;* Anselmus, *De Lib. Arbit.*,

c. 6: *invitus nemo potest velle aliquid, quia non potest velle nolens velle.*

Quæstio est proinde de actibus *imperatis* a voluntate. Experientia constat "exteriora membra impediri posse, ne imperium voluntatis exsequantur." S. Thom. *l. c.* Idem dici potest de interioribus actibus facultatum sensitivarum et intellectus.

Quæres quantum vim inferenti et inhonesta proponenti *resisti debeat?* Etenim qui vim infert interdum ipse solus actionem malam perficere cogitat. Sic agere solet fur, homicida; sic egerunt occisores Christi Domini: tunc obligatio resistendi, fugiendi, alia est in alio casu, et potest quoque esse nulla. Interdum vera participatio actionis malæ exigitur: utputa, ut patiens thus idolis offerat, ut fornicationem vel adulterium admittat. Tunc non satis est ut vim patiens interne dissentiat, sed præterea omni actione abstinere debet qua pravo consilio favere videtur, et omnem resistentiam positivam opponere quæ utilis sit vel quæ scandalum consensus aut periculum consensus avertat. Ideo censent mulierem oppressam per se obligari ut clamore et viribus corporis se defendat. "Verum si hæc resistentia positiva inutilis vel nimis difficilis, immo periculosa sit, ab ea adhibenda excusatur, dummodo vitare possit consensum." Noldin, *De Act. Hum.*, n. 58.

Prob.: *1a pars.* Actio quæ ponitur contra omnimodam resistentiam voluntatis est omnino involuntaria.

Atqui actio quæ fit per violentiam absolutam est talis. *Ergo* est prorsus involuntaria. Cf. S. Thom. *l. c.* art. 5.

2a pars. Omissio voluntaria alicujus medii obligatorii et possibilis in resistendo arguit aliquid voluntarii saltem indirecti in effectu.

Atqui violentia relativa importat talem defectum. *Ergo* non omnino tollitur voluntarium.

Usus quorumdam mediorum ad resistendum arguit *aliquid involuntarii adesse.*

Ergo voluntarium *deminuitur.*

Difficultates

1. Voluntas potest cogi a Deo, ita ut quod ipsa voluntas nolit, jam velit.

℟. Manente nolitione, *N.* manente nolleitate, C.

2. Dantur actus contrarii inclinationi naturali in hominis voluntate. *Ergo* sunt actus violenti in ipsa.

℟. Si considerantur omnes inclinationes, seu si spectatur tota natura, *N.* si inadæquate, *C.*

Influxus Morborum in Voluntarium

Status abnormales nervosi systematis non solum organici (i. e. perceptibiles læsiones) sed etiam functionales (seu latentis originis) sine dubio constituunt impedimenta voluntarii. Impeditur nempe judicium intellectus ob turbationem phantasmatum quæ aut exaggeratos terrores proponunt (phobiæ) aut segniter et insufficienter suppeditantur (asthenia, aboulia) aut, denique, confuso et inordinato modo miscentur (ut in variis gradibus amentiæ).

Conveniunt igitur omnes isti morbi in hoc quod non permittunt ordinatum et disciplinatum processum judiciorum rationis. Non sunt morbi ipsius intellectus nisi quoad effectus ignorantiæ, inadvertentiæ et erroris. Multo minus sunt formaliter morbi intrinseci voluntati, nam ut ait S. Thomas: "*In quantum ratio manet libera et passioni non subjecta, in tantum voluntatis motus qui manet, non ex necessitate tendit ad hoc ad quod passio inclinat.*" I, II, q. 10, a. 1. Omnis igitur diminutio libertatis causam suam proximam habet in defectu intellectuali, qui defectus vicissim ex impedimento ipsi extrinseco repetendus est, ut v. g. in organica indispositione. Audiatur Cl. Sole, n. 24, not. 2:

D'Annibale, l. c. § 31, not. 18 scribit: "Quidam hodierni psychiatrici dementiæ et amentiæ eamdem vim esse contendunt, rati nunquam ex parte dumtaxat lædi organum virtutis imaginativæ. Quod si verum est, amens nihil agit nec momentis quibus sapit. Amplius: alii nec ignobiles nec irreligiosi novam detexerunt monomaniæ speciem, quæ in voluntatem, cum primis, imo ut nonnulli ex eis putant, dumtaxat, vim exerit suam; quam quia animi ægritudinem parit, *lipemaniam* vocant. Hæc, mente quidem integra, adeo voluntatem enervat, debilitat ut pene enecet; nam qui ea laborat non potest id quod vult nolle, aut id velle quod non vult, licet probe intelligat se rem noxiam, vel illicitam facere. Quorum primum salvis moribus, vix; alterum, salva fide, ne vix quidem admitti posse videtur. Nolumus abduci doctrinis variis et peregrinis." Et merito quidem, haud admitti potest, ut, integro manente intellectu, sola voluntas vi morbi deficiat; nam repugnat quod voluntas, cum sit potentia spiritualis, nata sequi judicium rationis, vi morbi physici, ita possit infirmari, ut contra propriam naturam, amplius non sit vis electiva eorum, qua ab intellectu, normali modo, uti supponitur, proponuntur. Unde sicut nequit esse voluntas in iis quæ intellectu carent, ita eam esse tenendum est in iis quæ sunt intellectu prædita. Ubi intellectus ibi voluntas et viceversa.—De hoc commentitio morbo, voluntatem tantum afficiente, incolumi intellectu, appellato etiam *abulia* vel *anenergia* disserit Ribot, *Les maladies de la volonté*.

Cf. Vermeersch, *Principia*, I, p. 91; Prummer, I, n. 91.

DE MORALITATE

ESSENTIA MORALITATIS

Moralitas est ea ratio generica actus humani qua capax est suscipiendi denominationem boni vel mali, honesti vel inhonesti.

Quandoque adhibentur "moralitas" et "moralis" ad designandam potius speciem bonitatis moralis.

Essentia Moralitatis patefieri potest (1) ex derivatione vocis, (2) ex analysi conceptus, (3) ex descriptione actus cui applicatur.

1. Radix nominis est **mos** qui definitur, "*frequens et sæpius iteratus modus agendi proveniens ex libera voluntatis determinatione.*" I, II, q. 58, a. 1. Inde est quod **mores** nonnisi actus humanos complectuntur. Præterea, mores alicujus personæ vel populi quandoque significant modum agendi in comparatione ad typicum aliquem modum agendi, v. g. alicujus gentis excultæ, et reputantur boni vel mali prout conformitatem ad eum exhibeant vel ab eo difformes sint. Tandem actus humanus dicitur esse moralis, seu **moralitatem** habere, non quatenus quamlibet conformitatem vel difformitatem ad quemlibet typicum actum humanum referat, sed *prout comparari possit ad normam activitatis humanæ in fine suo ultimo prosequendo.*

Extenditur denominatio ad alia præter actum sed propter ordinem quem dicunt ad actum. Ipse **ordo moralis** ab Angelico definitur: "*dispositio humanorum actuum ad finem communem totius vitæ humanæ.*" I, II, q. 21, a. 2 ad 2.

2. Actus moralis nequit *describi* etiam generico modo sine enumeratione plurium. Ipsa entitas physica actus humani, ratio libertatis, advertentia agentis ad indolem moralem, respectus ad regulam seu normam moralitatis—unumquodque ex his elementis suo modo concurrit ad explicandum vel ortum, vel subjectum, vel *ipsam formalissimam notam moralitatis.* In hac propria nota seligenda magna varietas sententiarum exstat inter theologos, ut videre licet ex elencho subjecta:

(1) *Quid constituit actum moralem in genere?*

℟. Moralitas in *solis actibus humanis* invenitur *proprie ac perfecte.* (Alia, ut *certitudo, ordo, regula, effectus, objectum, ob* ordinem ad *actum* dicuntur moralia.)

(2) *In quonam elemento formaliter consistit moralitas?*

℟. Sententiæ: I. *In ipsa entitate actus ut sic.* Talis enim actus ***natura sua*** postulat ut oriatur a voluntate directa a ratione. Ista naturalis exigentia est moralitas. Valentia, 1ª, 2ae, d. 2, q. 13, p. 1.

II. *In libertate actuali ut sic.* Durandus, 2, d. 38, q. 1, 3; 3, d. 23, q. 3. (Scotus, Tanner, d. 2, d. 2, n. 34; S. Thomas, "Ibi incipit genus moris, ubi primum dominium voluntatis invenitur." 2, d. 24, q. 3, a. 2).

III. *In directione a ratione advertente honestatem ejus.* Ita visio beatifica esset actus moralis. Sylv. Maurus, Walsh, n. 363 sq.

IV. *In accidentali, reali, transcendentali habitudine actus ad objectum prout hoc substat regulis morum.* Thomistæ.

V. *In denominatione extrinseca*, i. e. *in notitia de morali indole objecti*, quatenus juxta ipsam actus dirigi et regulari potest. Vasquez (forsan Mastrius at Coninck.)

VI. Partim in ipso actu, partim in denominatione extrinseca, *in actu voluntatis libere et cum sufficienti notitia de indole morali objecti elicito.* Suarez, D. 1, s. 2, nn. 16, 17; Platel, p. 2, c. 2. ¶ 1, 85.

Notari tamen debet hanc diversitatem in quibusdam esse tribuendam ambiguitati quæstionis; non enim idem est quærere: *quid objective respondet conceptui actus moralis?* ac inquirere: *quænam præcise nota vel complexus notarum constituit moralitatem?* Si sub hac altera forma proponatur, fere omnes recentiores concedent eam reponendam esse **in habitudine vel relatione ad normam vel regulam aliquam.** "*Habet actus humanus quod sit malus ex eo quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua, si divertat, incommensurata erit.*" I, II, q. 51, a. 6.

Ad pleniorem discussionem rei et pro argumentis singularum partium, conferantur Frins, II, 2; Bucceroni, *Commentarii*; Bouquillon, n. 341; Prummer, I, n. 99. Discrepantiæ inter auctores IVae et VIae sententiarum in oppositis theoriis philosophicis, et præsertim in respective diversis explicationibus Normæ Moralitatis fundantur.

NORMA MORALITATIS

Inquirenti quænam sit **regula** vel **norma** quæ inservit ut mensura moralitatis, plura statim occurrunt quorum singula ab omnibus theologis aliquo sensu merentur hoc nomen.

1°. **Conscientia** seu judicium de honestate vel inhonestate actus quod concomitatur positionem istius actus, est certe norma respectu cujus actus dicitur moralis, cui si conformatur actus fit bonus, a cujus præscripta rectitudine si discedat, fit moraliter malus. Sed æque clarum est conscientiam præsupponere anteriorem aliquam normam cui ipsa conformari debeat; intellectus

enim non facit suum objectum, sed veritatem objectivam manifestat nobis.

2⁰. **Natura rationalis ut talis complete spectata,** juxta omnes suas relationes est objectum ex cujus consideratione intellectus trahere potest et revera intellectus humanus primo trahit cognitionem de bono et malo morali, i. e. de intrinseca honestate et inhonestate. Convenientia actus cum eo quod postulat natura rationalis non tantum revelat mihi talem actum esse honestum sed est formalis causa honestatis. At notandum est talem modum loquendi ansam præbere ambiguitati. Quod quærimus est norma ultima principalis quæ erit **exemplar** seu **actio typica** cui comparari potest actus humanus, et non mera exigentia objectiva. Jamvero intellectus humanus respiciens naturam humanam invenit ibi tantum *fundamentum* et *exigentiam quamdam* ex quibus primo condit suum ideale et formale exemplar. Potius igitur dicendum videtur naturam humanam jam descriptam esse normam fundamentalem proximam, sicut Ipsa Essentia vel Bonitas Divina est ultima norma fundamentalis. In ordine *ideali* quærenda est norma *formalis*, *exemplar delineatum* et *determinatum*, et hæc ultimatim et principaliter invenitur in Intellectu Divino omnia ordinante juxta naturas singulorum.

3⁰. **Lex Dei Aeterna.** Quia actus humanus proprie sit actus *voluntatis*, norma moralitatis proprie et formaliter debet esse *exemplaris actus voluntatis*, si non ut obligantis, saltem ut objective continentis directionem debitam.

"Respondeo dicendum quod, sicut dictum est art. 7 hujus quæst., bonitas voluntatis dependet ex intentione finis. Finis autem ultimus voluntatis humanæ est summum bonum, quod est Deus, ut supra dictum est, quæst. 1, art. 8. Requiritur ergo ad bonitatem humanæ voluntatis quod ordinetur ad summum bonum.

Hoc autem bonum primo quidem et per se comparatur ad voluntatem divinam ut objectum proprium ejus; illud autem quod est primum in quolibet genere, est mensura et ratio omnium quæ sunt illius generis. Unumquodque autem rectum et bonum est, in quantum attingit ad propriam mensuram. Ergo ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur quod conformetur voluntati divinæ.

Ad primum ergo dicendum quod voluntas hominis non potest conformari voluntati divinæ per æquiparantiam, sed per imitationem, et similiter conformatur scientia hominis scientiæ divinæ, in quantum cognoscit verum, et actio hominis actioni divinæ, in quantum est agenti conveniens; et hoc per imitationem; non autem per æquiparantiam." I, II, q. 19, a. 9.

Thesis V

Actus externus per se nihil moralitatis addit actui interno voluntatis qui est per se efficax circa idem objectum.

I. **Moralitas** residet (1) in solis actibus humanis (ex definitione)
(2) in solis actibus liberis (juxta communem sententiam TT.)
(3) in nullo actu mere externo, nisi materialiter.

Illud dicitur *malum materialiter* cui nihil deest præter deliberatum actum voluntatis ut sit formaliter malum, v. g. homicidium, procuratio pollutionis. Ut cognoscamus quænam opera sint hujusmodi, quærere debemus an insit independenter ab actu voluntatis ratio propter quam prohibentur. Quod remanet in exemplis datis clarum est, nam homicidium prohibetur ob violationem juris alieni, procuratio pollutionis ob perversionem facultatis et injuriam generi humano contentam in ea. Hinc non licet desiderare ut sine advertentia fiant, nec inducere aliquem ad ea committenda etsi careat imputabilitate.

II. Actus humanus qui est simul externus et internus est actus moralis. Sed si pars externa istius actus omitteretur, interna pars relicta esset etiam actus moralis. Quæstio nostra est, utrum mixtus ille actus contineat majorem moralitatem quam internus solus. An externalitas addit moralitatem? Respondet thesis externum illum actum non addere novam moralitatem *per se*, etsi *per accidens* addat.

Per se: ex natura sua; i. e. si ipso facto quod opus externum ponitur, accedat novus quidam valor moralis.

Per accidens: ratione causæ extrinsecæ ipsi operi externo ut tali, si totalis actus pleniorem moralitatem accipiat.

Exempla data a Suarez sunt: ob majorem perseverantiam in interno actu; ob multiplicationem actuum interiorum; ob affectus inde excitatos; ob utilitatem in moderandis passionibus; ad satisfactionem.

III. Tandem, ut quæstio magis præcise definiatur, instituitur comparatio inter actum *completum* (i. e. tum interiorem tum exteriorem) et actum *internum per se efficacem.*

Per se Efficax: quantum est de se, pertingens ad ipsum opus: i. e. continens serium propositum exsequendi rem intentam, et proinde adhibendi media quæ in confuso saltem concipiuntur ut possibilia et apta. **Per se inefficax** esset simplex complacentia in objecto. Item *inefficax per se* esset desiderium vel propositum faciendi id quod est simpliciter impossibile. E contra *per se efficax* esset intentio agendi cujus executio impeditur ab aliquo superveniente impedimento extrinseco. In hoc ultimo casu *inefficacia* est tantum per accidens.

Nota: ***Communior et probabilior.***

Prob.: I. In SS. voluntas sincera reputatur pro facto et non minus laudatur vel reprehenditur ac si quis factum exercuisset.

"Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi." Gen. XXII, 16.

"Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo." Matt. V, 28.

II. Ex PP. "Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit, id eum cupere, et si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur." S. Aug., *De Lib. Arb.* L. 1, c. 3, n. 8.

III. Ex rat. (S. T. I, II, q. 20, a. 4) Defectus perfectionis quæ est ex actu exteriore est simpliciter involuntarius.

Atqui involuntarium nihil addit vel detrahit. *Ergo.*

Difficultates

1. Nulla esset ratio pro distinctis istis præceptis decalogi, quæ seorsim prohibent eadem peccata externa et interna.

℟. (1) Quod hæc distinctio non sit propter diversam moralitatem, patet ex eo quod non omnia peccata in decalogo reprobata eodem modo repetuntur.

(2) Optima datur ratio pro speciali mentione et repetitione horum peccatorum. Nam homines maxime proclives sunt ad hæc. Præterea ad docendum populum aptissima est hæc repetitio.

2. Illud in se habet propriam moralitatem quod in se conforme vel difforme est rationi. Sed plures sunt actus externi tales. *Ergo.*

Prob. Min. Orare, eleemosynam dare, martyrium subire, sunt in se bona; occidere, mœchari, furari sunt opera externa in se mala.

℟. *Dist. Maj.* Habent *materialem* moralitatem, *C. formalem* de qua loquimur, *N.*

3. Absonum videtur idem præmium mereri desiderium martyrii ac ipsum martyrium.

Atqui juxta doctrinam thesis ita esset. *Ergo.*

℟. (1) Desiderium efficax, *N.* inefficax, *C.*
Cf. exempla Abrahæ, S. Joannis Apostoli, etc.
(2) Quoad præmium accidentale aureolæ, ex speciali dispositione divina tribuendum, nihil est contra thesim.

4. Confessarii generatim imponunt majorem pœnitentiam pro peccatis externe completis.

℟. Quia per accidens est major malitia.

5. S. Aug., *De Trin.*, l. 13, c. 5: "Mala voluntate sola quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur. Profecto quamvis et sic mala volendo miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset." Hic S. Aug. loquitur de miseria culpæ, non pœnæ.

℟. Miserior est ob plures rationes. Per accidens involvitur in pluribus et majoribus peccatis; difficilior est regressus, etc.

6. Patres allati in contrarium loquuntur de merito et peccato absolute sumptis et non de quantitate relativa vel comparativa malitiæ.

℟. "*Tam reus quam* si opere complesset."
Ergo eodem gradu peccat per se.

7. Externalitas est materia necessaria confessionis.
Ergo continet propriam et distinctam malitiam.

℟. *N. conseq.*, quia aliæ sunt rationes cur quis teneatur confiteri peccatum ut externum; v. g. periculum reservationis vel censuræ annexæ; ob distinctam legem violatam; et præsertim quia ita Christus statuit. Cf. Frins, II, p. 350.

DE PRINCIPIIS MORALITATIS

Thesis VI

Tria sunt principia moralitatis, scilicet objectum, circumstantiæ, finis.

Principium moralitatis, quod dicitur etiam *fons* vel *causa*, intelligitur id ex quo derivatur moralitas seu quod reddit actum humanum conformem cum regula morum vel ab ea difformem.

Triplex fons enumerata in thesi traditur a S. Thoma (I, II, q. 18, a. 2, 3, 4) et a theologis communiter. *Objectum* seu *terminus actionis*, seu *finis intrinsecus ipsius operis* est primum elementum quod admittit bonitatem vel malitiam moralem. Deinde considerandæ sunt *circumstantiæ* seu *adjuncta* actionis quæ afficere possunt moralitatem actus. Tandem *finis extrinsecus seu operantis*, utpote circumstantia maximi momenti, examini subjiciendus est, ne actio cæteroquin bona, ex hoc capite vitietur.

De Objecto

Objectum *est id quod actus moralis primo et per se attingit secundum entitatem moralem.*

Id quod attingit: i. e. materia proxima, nam alia est remota seu *id circa quod versatur actus*, et constituit objectum remotum; sicut est Ipse Deus relate ad actum amoris vel pecunia relate ad actum furandi. Sed id quod proxime attingit actus in his casibus est conjunctio voluntatis cum Deo, ablatio pecuniæ a domino invito.

Primo et per se: i. e. quamvis ex intentione agentis ordinetur actus in effectum ulteriorem, et ita fiat medium ad aliud objectum, et alia habeat adjuncta extrinseca quæ immutent valorem moralem actus, hæc omnia sunt præter *ipsum objectum* de quo hic agitur. Intelligitur nimirum *naturalis et primarius terminus in quem tendit actus*, præcisis omnibus consectariis et adjunctis.

Secundum entitatem moralem, i. e. consideratum prout subest regulis morum, seu prout refertur ad normam moralitatis.

Sicut enim in actu humano duplex est entitas, altera physica, altera moralis, ita etiam distinguendus est terminus naturalis in objectum *physicum* et objectum *morale*. Ita v. g. in furto non consideratur mera ablatio rei alienæ contra voluntatem domini, sed hæc ablatio una cum respectu quem habet ad legem æternam et conscientiam auferentis.

Si solus respectus ad regulam *remotam* (ad legem æternam et leges derivatas) respicitur, habetur objectum *materiale* morale; si includitur respectus ad conscientiam (seu regulam proximam) habetur objectum *formale*.

Nota: ***Certa et communis.***

Prob. I. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Osee IX, 10.

II. Omnis actus potentiæ finitæ se habet ad objectum sicut motus vel tendentia ad terminum. *Atqui* juxta diversitatem termini diversus est motus, diversa tendentia.

Ergo diversificatur actus moralis juxta diversitatem objecti moralis.

Difficultates

1. Objectum non specificat moralitatem actus si circa idem objectum versari possunt actus morales specifice diversi.

Atqui ita est, nam v. g. circa eandem uxorem possunt haberi actus conjugalis honestus et actus adulterii turpis. *Ergo.*

℟. *Dist. Min.* Circa eandem uxorem physice consideratam, *C.* moraliter, *N.*

Tum actus tum objecta respici debent prout cadunt sub regula morum.

2. Juxta thesim objectum malum reddit actum qui versatur circa illud malum.

Atqui hoc non semper fit, nam peccatum potest esse objectum boni actus, v. g. detestationis.

℟. *Dist. Maj.* Objectum malum, consideratum ut *materia remota* circa quam, sine respectu ad actum, *N.* consideratum ut *materia proxima*, præcise ut formaliter terminans actum, *C.*

3. Sola conscientia subjectiva determinat utrum actio sit moraliter bona vel mala, nam quidquid sit de objecto, si quis agit contra conscientiam, peccat, si juxta conscientiam, non peccat.

℟. *Dist.* Conscientia determinat tamquam *norma proxima præsupponenda, C.* est formale et intrinsecum constitutivum ipsius moralis actus, vel eliminat necessitatem hujus moralitatis et alterius normæ, *N.*

4. Objectum saltem non est fons primæ et essentialis bonitatis moralis. Nam *finis* est talis, cum ipsum objectum ordinatur ab agente ut medium in finem, et actus prius respicit finem deinde media.

℟. *N. assertum.* Ad rationem additam; actus prius respicit *suum finem intrinsecum, finem operis*, qui est præcise *objectum, C.* finem extrinsecum operantis, *N.*

"Prima et essentialis bonitas aut malitia actus ea est, quæ ante omnem aliam in eo concipitur, sine qua concipi non potest, et quæ, aliis mutatis, invariabilis permanet. Atqui bonitas vel malitia quæ est ex objecto in actu, concipitur inesse ante bonitatem vel malitiam quamcumque aliam ex circumstantiis; sine ea concipi non potest; et mutatis circumstantiis et fine, non mutatur; sic adulterium, hoc ipso quod est accessus ad uxorem alienam, intelligitur primo et essentialiter malum sine ordine ad alias circumstantias; sine hac malitia non potest concipi; et mutatis circumstantiis aut fine, invariabilis permanet. Ergo." Billuart, *De Act. Hum.*, Diss. IV, a. 3.

5. Objectum nequit esse fons moralitatis, nam objecta omnia sunt bona.

Ergo numquam sunt difformia regulæ.

℟. Omnia objecta in se spectata sunt bona, *Tr.* prout terminant actionem, *N.*

"Licet res exteriores sint in se ipsis bonæ, non semper habent debitam proportionem ad hanc vel illam actionem et ideo in eo quantum considerantur ut objectum talium actionum, non habent rationem boni." I, II, q. 18, art. 2, ad 1.

Scholion

I. Objectum debet considerari hic *ut cognitum ab operante;* nam nisi sumatur ut apprehensum non est objectum actus humani. Hinc "dum Jacob accessit ad Liam, actus internus esset bonus, scilicet voluntas et intentio copulæ; quia versabatur circa objectum bonum in apprehensione Jacob, nimirum circa copulam cum Rachele; et quod etiam actus externus esset bonus, ipsa

nempe copula, non quidem in quantum a parte rei versabatur circa Liam; copula enim sic considerata non erat bona, sed mala, licet tantum materialiter, sed in quantum a Jacob dirigebatur in Rachelem." Similiter si quis accipit rem suam putans esse alienam, actio est moraliter mala ex objecto apprehenso.

In his casibus tamen, nota quod ut objectum sit bonum, non sufficit ut apprehendatur ut bonum, sed requiritur ut error sit invincibilis; sed ut objectum sit malum error vincibilis sufficit.

II. Objectum debet hic considerari ut *aliquo modo volitum ab operante;* secus non terminabit actum humanum. Sed magnum est discrimen inter contractionem bonitatis et malitiæ, spectata volitione. (1) Ut *bonitas* objecti refundatur in actum, hæc bonitas debet appeti *propter se* "ad hoc quod voluntas sit bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni, id est, quod velit bonum et propter bonum." I, II, q. 19, a. 7 ad 3. Sed non requiritur ut reflexe, explicite, formaliter, ipsa honestas ut talis repræsentetur et appetatur. Non tamen sufficit ut solum bonum delectabile vel utile quæratur. Omnino sufficit ut sub ratione qua est honesta quæratur, nam ita implicite et exercite ipsa honestas appetitur, ut accidit, v. g. quando quis tribuit eleemosynam ad sublevandam miseriam pauperis. Simili modo non requiritur ut advertatur *specifica honestas.* (2) Ut *malitia* objecti refundatur in actum, non requiritur ut malitia propter se appetatur, sed sufficit ut tanquam medium ad aliud appetatur. Ratio est quia datur generale præceptum *vitandi malum*, non solum non amandi. Proinde contrahitur malitia etiam quando hæc non est directe volita et intenta.

III. "Sunt autem tres differentiæ actuum humanorum; nam quidam actus sunt boni ex genere suo; . . . et respectu horum ponitur legis actus præcipere vel imperare. Quidam vero sunt actus mali ex genere suo, sicut actus vitiosi; et respectu horum lex habet prohibere. Quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes et respectu horum lex habet permittere." I, II, q. 92, 2. 2.

Præcisione facta a fine operantis et ab aliis circumstantiis quæ omnem actum humanum reddunt aut bonum aut malum in concreto, et restringentes considerationem ad ipsum *objectum*, quædam objecta necessario sunt bona ut *oratio*, quædam mala ut *adulterium*, quædam indifferentia ut *ambulatio*.

De Circumstantiis

Circumstantiæ *sunt modificationes moraliter et accidentaliter afficientes ipsum actum moralem jam in esse constitutum.*

"Nomen circumstantiæ ab his quæ in loco sunt derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum. Et ideo quæcumque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquomodo actum humanum, circumstantiæ dicuntur. Quod autem est extra substantiam rei, ad rem ipsam pertinens, accidens ejus dicitur. Unde circumstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicendæ sunt." (q. 7. a. 1).

Not. I. Nisi aliquo modo attingatur moralitas ab his conditionibus, non sunt nisi *physicæ* circumstantiæ, ut v. g. color vestis, hora diei, etc.

II. Præsupponunt actum ab objecto jam constitutum in specie moralitatis, nam si ipsæ darent primam constitutionem essentialem, essent *ipsum objectum morale.*

Circa contractionem bonitatis vel malitiæ ex circumstantiis applicari debent quæ jam dicta sunt de cognitione et appetitione objecti. "Fornicatio quam quis committit cum consanguinea, nesciens eam esse consanguineam, prout accidit Judæ qui fornicatus est cum Thamar, quam nesciebat esse suam nurum, non contrahit malitiam istius circumstantiæ, eo quod ipsa circumstantia non cognoscatur, nec consequenter ejus malitia. Fornicatio tamen cum fœmina quæ quidem consanguinea non est, sed quæ putatur talis, contrahit istius circumstantiæ malitiam, quia licet circumstantia illa non existat a parte rei, tamen existit in apprehensione fornicatoris."

III. "Circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quod aliquo modo attingat ipsum. Contingit autem hoc fieri tripliciter: uno modo in quantum attingit ipsum actum; alio modo in quantum attingit causam actus; tertio modo in quantum attingit effectum. Ipsum autem actum attingit vel per modum mensuræ, sicut *tempus* et *locus;* vel per modum qualitatis actus, sicut *modus agendi.* Ex parte autem effectus, ut cum consideratur *quid* aliquis fecerit. Ex parte vero causæ actus, quantum ad causam finalem accipitur *propter quid;* ex

parte autem causæ materialis sive objecti, accipitur *circa quid;* ex parte vero causæ agentis principalis, accipitur *quis* egerit; ex parte vero causæ agentis instrumentalis, accipitur *quibus auxiliis.*" I, II, q. 7, a. 3.

Juxta quam enumerationem, septem sunt genera circumstantiarum.

Quis—qualitas agentis; v. g. sacerdos, maritus.

Quid—qualitas vel quantitas effectus vel objecti; v. g. furtum centum dollariorum, bona ecclesiæ.

Ubi—locus, v. g. in ecclesia.

Quibus auxiliis—media vel instrumenta, v. g. coactione physica, dolo.

Cur—finis operantis; v. g. furtum ad fornicandum.

Quomodo—modus quo commissum est; v. g. cum scandalo, ex passione, cum plena advertentia.

Quando—tempus; v. g. die veneris, die dominica.

IV. Dividuntur circumstantiæ in eas (1) quæ non mutant speciem et vocantur *aggravantes*, ut v. g. furari centum vel mille dollaria, et (2) quæ *mutant speciem*, ut v. g. occidere sacerdotem. (Aggravantes in infinitum eæ dicuntur quæ ex levi transferunt in grave peccatum intra eamdem speciem).

Nota: ***Certa et communis.***

Prob. I. Luc. XXI, 3. Christus laudavit viduam mittentem duo minuta in gazophylacium, uti largientem majora dona quam divites, ob paupertatem.

Atqui talis laudatio importat circumstantiam personæ addere bonitatem moralem actui. *Ergo.*

II. *Trid. Sess. IV., c. V.* Concilium definit circumstantias speciem mutantes peccatorum mortalium in confessione esse declarandas.

III. Sicut bonitas rerum naturalium mutatur accidentaliter, ita bonitas moralis juxta conformitatem cum regula morum vel defectum conformitatis.

Quemadmodum "in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis, quæ debetur eis ex forma substantiali, quæ dat speciem; sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus; sicut in homine ex figura, ex colore, et sic de aliis, quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur

malum, ita etiam est in actione. Nam plenitudo bonitatis ejus non tota consistit in specie, sed aliquid additur ex his, quæ adveniunt tamquam accidentia quædam. Et hujusmodi sunt circumstantiæ debitæ. Unde si aliquid desit quod requiratur ad debitas circumstantias, erit actio mala." I, II, q. 18, a. 3, 9.

IV. Circumstantiæ æque ac objectum possunt habere habitudinem convenientiæ vel disconvenientiæ ad rectam rationem. Ergo æque ac ab objecto actus desumere potest moralitatem ex circumstantiis. Billuart, Diss. 4, art. 2, 4.

Difficultates

1. Quandoque unicus actus individuus collocaretur sub duplici specie. *Atqui* hoc repugnat. *Ergo.*

℟. *Dist. Maj.* Unicus actus spectatus ut ens naturale sub duplici specie naturali, *N.* ut ens morale sub duplici specie moralitatis, *C. Contrad. Min.*

Discrimen est in hoc quod cum ens naturale habeat esse physice determinatum ad unum, ens morale constituatur per ordinem rationis et hinc admittat multiplicitatem.

Cfr. S. Thom., I, II, q. 18, a. 8 ad 1; Bucceroni, *Comm.* pp. 165–66.

2. Quando circumstantia novam affert specificam bonitatem vel malitiam, fit objectum.

Ergo saltem tunc cessat esse circumstantia.

℟. *Concedo.* Sed etiam tunc vocari potest circumstantia in quantum illa nova moralitas est aliquid accessorium.

Cfr. Buccer., l. c.; Prummer, I, n. 118, *Corol.*

De Fine

Finis extrinsecus seu operantis de quo hic agitur est illud propter quod agens ponit actionem.

Finis est illud ad quod assequendum opus ordinatur.
Operis, ad quod opus tendit ex natura sua; *intrinsecus.*
Operantis, quem agens constituit; *extrinsecus.*
Proximus, nullo alio interposito, sed *immediatus.*
Remotus, mediante alio.
Non ultimus, propter alium ulteriorem.
Ultimus, appetitus sine referentia ad ulteriorem.
Absolute ultimus, in omni ordine.
Secundum quid ultimus, in suo ordine.

Positive ultimus, cum exclusione ulterioris.
Negative, præcisione facta ab ulteriore.

Totalis, propter quem solum agitur.
Partialis, propter quem etiam agit.

Primarius, ob quem præcipue.
Secundarius, ob quem, quamvis magis ob alium.

Exemplum. Petrus studet theologiæ, ut possit suscipere sacerdotium et deinde, ascendendo ad honores ecclesiasticos, non tantum redditus pinguiores obtinere sed laborem fructiferum ad salutem animarum exercere.

"Aliquis actus habet duplicem finem, scilicet proximum finem qui est objectum ejus, et remotum quem agens intendit." 2 Dist. 36, q. q. unic. a. 5; ad 5.

"Actiones humanæ et alia quorum bonitas dependet ab alio, habent rationem bonitatis ex fine, a quo dependent, præter bonitatem absolutam quæ in eis existit. . . . Sic igitur in actione humana bonitas quadruplex considerari potest; una quidem secundum genus, prout scilicet est actio; quia quantum habet de actione et entitate, tantum habet de bonitate; alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum conveniens; tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam; quarta autem *secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam.*" I, II, q. 18, art. 4.

Nota: ***Certa et communis.***

Prob. I. Finis operantis est circumstantia "*cur*"; *A. E.*

II. Quod per extrinsecum finem superaddi possit nova bonitas moralis, patet ex exemplis; v. g. qui dat eleemosynam pauperi sacerdoti ad promovendam religionem, exercet tum actum misericordiæ (ex objecto) tum religionis (ex fine operantis)

Scholion

I. "*Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*" I Cor., X, 31.

Quæritur utrum hæc verba præceptum contineant referendi omnes actiones humanas ad Deum, et si ita, qualis intentio requiratur?

℟. Juxta Protestantes (Wirc., n. 169), Jansenistas (W., *l. c.*), et Lovanienses (Tepe, n. 96), continent præceptum referendi omnes actiones ad Deum ut finem *supernaturalem* per intentionem *actualem* vel saltem *virtualem stricte dictam.* Secus

erunt opera peccaminosa. Motivum debet esse caritas,—"Diliges Dominum Deum tuum," etc.

Contra falsa ista asserta, communis explicatio theologorum tenet (1) *præceptum* contineri in istis verbis; (2) illud sufficienter adimpleri, si actus positi referantur ad Deum ut finem *naturalem;* (3) sufficere relationem quæ est *implicita*, qua scilicet intendatur opus sub aliqua ratione honesti, sive actualiter sive virtualiter.

Non demonstratur itaque præceptum quod, sequens Collet, his verbis enuntiat S. Alphonsus, *De Act. Hum.*, n. XLIV: "Oportet sæpius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur præceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei." Atque obligatio, quam minime negamus, offerendi opera ad Dei gloriam, hæc tantum postulat:

a) Ut opera nostra Deum glorificent; Deum autem glorificant omnia nostra opera bona, nisi conaturalem istam relationem respuamus;

b) Ut præceptum formalis dilectionis Dei adimpleamus: de quo præcepto agemus ubi de caritate. Cf. Lehmk., I, 375.

Legatur tamen Aertnys-Damen, I, n. 35, qui eamdem ac nos doctrinam admittit practice "cum homo opus cæteroquin bonum ponendo, necessario finem ultimum saltem implicite intendat quoties eum non excludit."

II. Propositiones VIII et IX damnatæ ab Innocentio XI ita currunt: "*Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*" "*Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa ac defectu veniali.*"

Notandum tamen est ex hac condemnatione non esse arguendum ad necessitatem explicitæ intentionis finis honesti vel utilis, v. g. ad conservationem. Sufficit implicita intentio honesti et talis adest si generali modo cognoscit delectationem quæsitam non esse prohibitam, qualis esset immoderata delectatio.

Esset peccaminosum respuere implicitam intentionem, sed hoc fieret solum per actum positum.

Tunc vere ageret ob solam delectationem, sed tale peccatum esset per se solum veniale, utpote deordinationem tantum levem involvens.

III. Sententia longe communior tenet nullum dari posse actum humanum qui in individuo sit indifferens. Ut sit rationabilis actus debet agens proponere sibi aliquem finem. Jamvero si conscius sit prohibitionis a lege vel oppositionis ad rationis ordinem, est actus malus; si non, est honestus.

Disputatur inter theologos an possit esse actus in individuo indifferens quoad vitam æternam seu ad meritum supernaturale.

Multi tenent esse tales actus indifferentes etiam in justis, nam exigunt motivum supernaturale, quod sæpe deest in operibus bonis justorum. Alii tamen putant omnes actus bonos saltem justorum esse supernaturaliter meritorios. Cf. Vermeersch, I, n. 140.

IV. *Quæritur an actio ex objecto bona fiat totaliter mala ex adjecto fine malo operantis?*

℟. Si finis malus adjectus sit graviter malus corrumpitur totus actus, et in hoc sensu verificatur axioma "bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu." Similiter finis leviter malus, si sit solus vel primarius finis reddit actum omnino malum, sed leviter tale. At si præcipuus finis actionis bonæ sit bonus et accedat tamquam partiale et secundarium motivum finis aliquis leviter malus, non deperditur omne meritum actus, sed potius dicendum est actus morales duos extitisse in casu.

Utrum *intentio* extrinseci finis naturam *operis* exterioris intrinsece immutare possit?

℟. Alii affirmant, alli negant. Horum sententia unice vera nobis videtur. Ratio est: 1°. quia natura mutari non potest; 2°. quia intentio operantis operi nihil addit, imo illud ne attingit quidem, cum illi prorsus extrinseca sit. Quare bona nostra intentio nequit opus malum reddere bonum, neque mala nostra intentio potest quod bonum est malum reddere, nec quod malum est in aliam malitiæ speciem intrinsece transferre. Hoc autem non impedit, uti patet, quominus ubi agatur de objecto de se indifferenti possit finis extrinsecus operantis bonitatem vel malitiam moralem tribuere. Hoc enim non est immutare naturam intrinsecam ipsius operis exterioris, sed determinare ejus intrinsecam indifferentiam, quatenus opus humanum est; quæ determinatio in moralibus nonnisi ab intentione est. Et sic licet prava intentio iudicis reo nocendi *justæ* sententiæ naturam immutare intrinsece non possit, et eam constituere *injustam* damnificationem: intentio tamen accipiendi alienum, ipsam acceptionem determinat, prout nempe quis rem alienam accipiat, ut eam domino conservet, vel ut eam sibi accipiat et furetur. S. Alph., l. 3, n. 584, 636.—Si quis ergo sine vi et fraude, sed ex odio, vel etiam ut noceat alteri, hunc impedit a consecutione boni, ad quod nullum jus habet, e. g. si quis testatorem impediat, ne relinquat hæreditatem alicui, qui ad illam nullum jus habet, ad restitutionem minime tenetur. Peccat enim vel tantum contra caritatem, vel etiam contra iustitiam, sed *affective* tantum, non autem *effective*. Cf. S. Alph., l. 5, n. 584.

DE LEGIBUS

Synopsis Doctrinæ S. Thomæ

Ia, IIæ, QQ. 90–108.

"Principium exterius movens ad bonum est Deus, qui et nos instruit per legem et juvat per gratiam."

Essentia. 1. Involvit *rationem*, i. e. principium humanorum actuum, quia est regula actuum humanorum; in *mensurante* quatenus est *ordinatio;* in mensurato quatenus est habitualis vel actualis cognitio principiorum practicorum.

2. Lex omnis ordinatur ad bonum *commune;* nam maxime respicit rationem, ejusque primum principium—finem ultimum, qui maxime consistit in felicitate communi, seu totius.

3. Quum lex primo et principaliter respiciat ordinem ad bonum commune, et quum pertineat ad multitudinem vel ad gerentem vicem multitudinis ordinare aliquid in bonum commune, pertinet ad totum populum vel ad principem condere legem.

4. *Promulgatio* necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. Quomodo enim mensuraret nisi applicaretur?

Et sic ex quatuor prædictis potest colligi definitio legis quæ nihil aliud est quam ***quædam rationis ordinatio ad bonum commune et ab eo qui curam communitatis habet promulgata.***

Differentia. 1. ***Lex Æterna.*** Si supponimus creationem et divinam providentiam, sequitur Deum immutabilem et supremum principem universi, ratione sua æterna, præscribere et gubernare cursum rerum. Ordinatio æterna est *activa* tantum, promulgatio *ex parte Dei* tantum est æterna et Deus "*vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.*" Rom. IV, 17.

2. ***Lex Naturalis.*** In omni lege duo sunt termini, cum sit vinculum: in principe est lex ut in regulante, in subjecto ut in regulato. Est igitur ista impressio participatio

quædam. Lex æterna speciali modo participatur homini, juxta naturam ejus. Aliis verbis, homo *in rationali natura sua* accipit inclinationem ad debitum actum et finem. Vocatur *lex naturalis.* Non est aliquid diversum a lege æterna, sed *participatio* ejusdem; cum sit secundum naturam est appetitus necessarius in ultimum finem, sed relinquit liberum circa media; *proprie* vocatur lex et in hoc differt a participatione imperfecta creaturarum irrationalium.

3. ***Lex Humana.*** Quia participatio ista est imperfecta et vaga (consistens, sicut accidit in ratione speculativa, in quibusdam generalibus propositionibus indemonstrabilibus), inveniendæ sunt conclusiones per industriam rationis. Tales sunt *leges humanæ.*

4. ***Lex Divina.*** Elevatio hominis ad statum supernaturalem, incertitudo humani judicii circa agenda, ordinatio imponenda super actus interiores, sanctio requisita pro omni peccato—postulant præter naturalem et humanam, *legem divinam. Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Ps. XVIII, 8.

Thesis VII

Existit lex naturalis, quæ in actibus rationis humanæ ut reflectentibus rationem divinam formaliter reponitur, quæque prorsus immutabilis est.

pars 1a—existit lex naturalis

Sensus: Antecedenter ad leges omnes positivas, subjacent homines quibusdam obligationibus moralibus stricte dictis, a Deo necessario impositis (necessitate hypothetica).

Adversarii:

a) Athei, Pantheistæ, Materialistæ generatim.

b) Pseudo-politici moderni, Positivistæ, Liberalistæ, ut Machiavelus, Hobbes.

c) Sequaces recentiores doctrinæ positivisticæ; Evolutionistæ et Sceptici hodierni; v. g. Smith, *Elementary Law:* "The moral law is that system of rules of human action which has its origin in a general sense, on the part of the members of a civilized community, of what is right and wrong, and which finds its sanction in the general disapprobation when any act in violation of it is committed."

Nota: ***Saltem theologice certa,*** quatenus ex SS. (Epist. ad Rom. II), interpretatione PP., Encycl. Leonis XIII et constanti traditione colligitur.

Prob.:

I. (Ex SS.) "*Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*" Rom. II, 14–15.

Substantia legis Mosaicæ ("*opus* legis," "*ea quæ* legis sunt") invenitur juxta Apostolum, alio modo manifestata ut lex apud gentes ("*naturaliter* faciunt," "*scriptum in cordibus suis*," "*ipsi sibi sunt lex*").

Atqui talis manifestatio quæ opponitur positivæ revelationi divinæ, et quæ ab auctore naturæ impressa naturæ rationali, manifestat bonum et malum morale atque obligationes illud faciendi, hoc vitandi, est *lex naturalis*. *Ergo* existit.

(Cf. Franzelin, *De Deo Uno*, Thes. III).

II. (Ex PP.). *S. Hieronymus:* "Ista lex quæ in corde scribitur, omnes continet notiones, et nullus est qui hanc legem nesciat." *Ep. ad Alg.*, q. 8.

S. Ambrosius: "Ea lex non inscribitur sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur . . . cujus testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit." L. 9, Ep. 9 (71).

(Cf. Justin., Orig., Tertull., Chrysost., Greg. M., August., etc. apud Bouquillon).

III. (Ex Litt. Encyc. Leonis XIII, *Libertas*).

"Talis est princeps omnium *lex naturalis*, quæ scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere jubens et peccare vetans. Ista vero humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subjectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit officia imponere et jura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique jura, item pœnis præmiisque imperata sanciendi; quæ quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut naturæ lex sit ipsa lex æterna, insita in iis qui ratione utuntur, eosque inclinans *ad debitum actum et finem*, eaque est ipsa æterna ratio creatoris universumque mundum gubernantis Dei."

IV. Videantur apud auctores Ethicæ plenius evoluta argumenta sequentia:

1. (A priori). Omnia utpote regulata a Divina Providentia participant legem æternam in quantum "ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines."

Atqui in homine talis participatio est lex naturalis. *Ergo* existit. I, II, q. 91, a. 2.

2. Ex intima experientia.

3. Ex consensu unanimi hominum.

Præclara sunt testimonia Ciceronis:

"Est enim hæc, judices, non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus." (*Oratio Pro Milone*).

"Quid quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt quam si latrones aliquo consensu suo sanxerint. Nam neque medicorum præcepta dici vere possent, si quæ inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint, neque in populo lex, cujusmodi fuerit illa, etiamsi perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos." (*De Leg.*, II, 5).

pars 2a—formaliter consistit in actibus rationis prout reflectentibus et participantibus legem æternam

Sensus: Ex stabilitis in prima parte sequuntur hæc admissa ab omnibus Catholicis: 1° *Legislator* seu conditor legis naturalis est ipse *Deus;* 2° *Præco* denuntians seu manifestans legem est *ratio* humana; 3° *subditus* est ipse *homo.*

Diversitas opinionum exstat circa quæstionem *de præciso et formali constitutivo* legis naturalis.

1. ***Vasquez*** tenuit *ipsam naturam rationalem secundum se* esse essentiam legis naturalis; *secundum se,* i. e. quatenus naturæ rationali quædam sunt convenientia, quædam non (in I, II, D. 150, c. 3). Ratio: quia quædam sunt intrinsece mala antecedenter et independenter ab omni extrinseco (sive judicio rationis, sive voluntate divina, sive alia causa) et *sola hac natura inspecta.*

Excluditur hæc opinio, quia natura in se inspecta nihil jubet; ergo non est *lex,* licet sit fundamentum objectivæ moralitatis vel regula. Præterea Deus ita haberet suam legem naturalem. (Suarez, Lib. II, c. 5 et sq.).

2. ***Alensis et alii*** reposuerunt essentiale constitutivum legis naturalis in *habitu* aut *facultate*—aliqui in *synderesi,* alii in *conscientia.*

Excluditur hæc opinio a scholasticis communiter (cf. Scholion de Doctrina S. Thomæ), quia

a) *synderesis*, utpote habitus seu mera facilitas et inclinatio, non continet ideam obligationis,

b) *conscientia*, si sumitur ut facultas, a fortiori præscindit a notione obligationis; si sumitur ut actus, nequit esse lex naturalis eo quod admittit falsitatem; et præterea est actus applicativus principiorum universalium ad actus particulares morales et proinde supponit obligationem generalem jam notificatam.

(*Admittit tamen P. Suarez, l. c., quæstionem hanc esse forsan de modo loquendi; nam ipsum lumen naturale, quasi permanenter continens virtute sua legem illam scriptam, potest vocari lex.* Ut patet, talis sensus non sonat *legem propriissime et formaliter* dictam).

3. ***S. Thomas, Suarez*** et ***Scholastici*** communiter tenent legem naturalem, prout *in nobis* invenitur, consistere *in actibus, judiciis practicis universalioribus ordinis moralis.* Est *dictamen practicum rationis.*

Quando ulterius quæritur in quonam reponenda sit *Lex Naturalis simpliciter dicta* juxta formalem et præcisam suam rationem, scinduntur hi auctores voce forsan magis quam re.

a) Alii enim post *Suarezium* urgentes discrimina inter legem *æternam* et legem *naturalem* asserunt hanc esse legem solum *passive inspectam*, esse *temporalem*, participatam, divinam solum in hoc quod a *Deo* procedit. (Cf. Macksey, p. 100; Platelli, apud Bouquillon).

b) Alii, ut WIRCEBURGENSES hanc statuunt thesim: *Lex naturalis verius constituitur actu aliquo divino quam in recta ratione.* (p. 212). Juxta hos nequit concipi essentia legis sine obligatione, sed solum in actu divino habetur ista obligatio. Ita Bouquillon, p. 204. Admittunt legem naturalem *a parte hominis* seu *prout in regulato* esse dictamen rationis, et reponunt discrimina inter legem æternam et naturalem: "Lex æterna est ordinatio omnium creaturarum in finem supremum, lex naturalis est ordinatio creaturæ rationalis; lex æterna est ordinatio in Deo ipso manens, lex naturalis est ordinatio

in creatura rationali expressa; lex æterna, qua talis, a solo Deo cognosci potest, lex naturalis lumine rationis percipitur: Unde lex naturalis non est aliquid diversum a lege æterna sed est ejus participatio in rationali creatura."

c) Conciliari posse videntur hi modi loquendi—si dicatur lex naturalis consistere *in dictaminibus rationis*, non seorsim consideratis sed præcise prout hæc dictamina reflectant, participant, applicant rationem divinam necessario ordinantem et voluntatem divinam necessario præcipientem actiones humanas.

Nota: ***Probabilior.***

Prob.: (a) (*stat in judiciis*) "*Lex naturalis est humana ratio recte facere jubens et peccare vetans.*" Leo XIII, *Libertas.*

Atqui non est facultas, neque habitus. *Ergo* actus judicandi.

(b) (*ut reflectentibus, etc.*) "*Ista vero humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subjectam esse oporteat. Vis enim legis, cum ea sit officia imponere et jura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique jura, item pœnis præmiisque imperata sanciendi; quæ quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur ut naturæ lex sit ipsa lex æterna, insita in iis qui ratione utuntur eosque inclinans ad debitum actum et finem eaque est ipsa æterna ratio creatoris universumque mundum gubernantis Dei.*" Leo XIII, *Libertas.*

Unde: Ut in concreto vera ratio legis habeatur, requiritur et sufficit auctoritas aliena actu imponens obligationem.

Atqui per dictamina rationis actu imponitur obligatio, sed solum continent elementum istud quatenus respiciuntur *participationes* legis æternæ. *Ergo.*

pars 3a—est immutabilis

Immutabilitas; proprietas stricte dicta (i. e. competens omnibus et solis præceptis legis naturalis) qua nequit lex esse

subjectum additionis vel diminutionis quoad præcepta vel prohibitiones.

Intrinseca: immunitas a possibilitate deficientiæ *in ipsa lege*, qua v. g. inutilis aut nociva fieret.

Extrinseca: immunitas a possibilitate mutationis *in decretis superioris*, qua v. g. revocaretur aliquod præceptum:

a) per *abrogationem*—aufertur *tota* lex;

b) per *derogationem*—aufertur *pars;*

c) per *dispensationem*—liberatur *aliquis.*

Nota: *Certa.*

Prob.: a) Lex quæ intrinsece mutari posset, (manente materia concreta legis) non esset necessario derivata ab ipsis essentialibus relationibus naturæ humanæ.

Atqui lex naturalis præcise derivatur ex istis relationibus. *Ergo.*

N. B. Ipsa imbecillitas linguæ humanæ causa est cur, brevitatis et utilitatis gratia, sæpe adhibeamus formulas minus exactas ad exprimendum præceptum universale. Ratio cur videantur esse exceptiones in applicatione est quia formula generalis non enuntiavit distincte *veram materiam legis.*

b) Voluntas divina nequit mutari circa ea quæ necessario postulantur ex parte hominis ut assequatur finem suum ultimum.

Atqui hæc immutabilitas importat immutabilitatem extrinsecam legis naturalis.

Ad Maj. Simul dirigeret hominem ad finem et non vellet ut attingeret.

Ad Min. Lex naturalis nititur auctoritate divina, et Deus non habet Superiorem.

Difficultates

CONTRA PRIMAM PARTEM

1. Ex lege naturali quandoque aliquis obligaretur ad mentiendum, v. g. quando quis versaretur in ignorantia invincibili.

Atqui talis lex nequit a Deo proficisci.

Ergo non exsistit lex naturalis in sensu exposito.

℟. *Dist. Maj.* Obligaretur ad mentiendum *materialiter*, *C. formaliter, N.*

2. Lex naturalis obligaret ipsum Deum. *Atqui. Ergo.*

℟. *Hypothetice* et consequenter ad perfectiones divinas, *C.*

3. Lex naturalis dicitur esse eadem ac lex æterna.

Atqui ex definitione est temporalis.

Ergo habetur contradictio.

℟. Dicitur æterna in hoc sensu, quod est *participatio* legis æternæ in creaturis rationalibus, *C.*

4. Non datur lex naturalis distincta a lege positiva, quia 1⁰ etiam positiva divina est a Deo; 2⁰ etiam lex naturalis obligat ad alias leges servandas.

℟. *N. assert. Ad rat.* 1^am^, positiva divina est a Deo *libere, C. necessario, N.; ad rat.* 2^am^, lex naturalis obligat directe et immediate ad alias servandas, *N.* indirecte, *C.*

CONTRA SECUNDAM PARTEM

1. Si Deus non existeret, lex naturæ obligaret.

Ergo exsurgit ab ipsa natura rationali. (Vasquez).

℟. *N. anteced.* Caderet ipsa obligatio.

2. Dictamina rationis sunt *terminus* et *effectus* legis, non ipsa lex. Hæc enim prout est *obligans* seu *formaliter* sumpta est solum in legislatore—Deo.

℟. *Dist.* Sunt effectus legis subjective et active inspectæ, sed ipsa lex passiva, *C.* non sunt lex simpliciter, *subdist.* si spectantur ut continentes impressionem legis, *N.* si sine hoc connotato, *Tr.*

CONTRA TERTIAM PARTEM

Cf. Wirc. et auct. ethic.

Scholion

"Considerandum est legem naturalem," etc. Cf. Bouquillon, p. 110, n. 3 et p. 211.

DE NOTIONE LEGIS

Definitio. (a) *Lex*, quoad nomen, est incertæ originis; probabiliter a voce *ligare*, probabiliter a *legere* derivatur.

(b) *Lex*, reali significatione, est

(1) *Regula dirigens rem in finem suum.* Inde *lex physica*, qua, ex necessitate naturali, determinantur actiones rerum naturalium; *lex in membris*, repugnans legi mentis (Rom. VII, 23); *lex artis*, quæ est practica norma dirigens actus humanos.

(2) *Regula dirigens actus humanos in finem suum ultimum.* Hæc descriptio generalis legis proprie et stricte dictæ, quæ est regula justorum et injustorum, et simul norma inducens moralem obligationem, supplenda est per definitionem Angelici Doctoris.

(3) ***Quædam ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata.*** I, II, q. 90, a. 4.

Ordinatio rationis: Ordinatio est dispositio ad finem per media proportionata. (I, II, q. 102, a. 2). Talis dispositio imponitur *jussu* seu *cum imperio.* "*Hæc est differentia inter consilium et præceptum quod præceptum importat necessitatem, consilium autem ponitur in optione ejus cui datur.*" (I, II, q. 108, a. 4).

Hujusmodi *ordinatio* pertinet ad sphæram *rationis;* nam cum sit regula *actionum humanarum*, in mensurantis *intellectu* judicante de honestate et convenientia actionis inveniri debet, et in mensurati *intellectu* habitualiter vel actualiter cognoscente ejus præscripta. Quamvis igitur ex voluntate procedat, non tamen ex arbitraria, sed ex voluntate regulata per rectam rationem. "*Alioquin voluntas principis magis esset iniquitas quam lex.*" (I, II, q. 90, a. 1, ad 3).

Ad bonum commune: Ubi sunt multi quærentes finem communem, ratio dictat adjumenta suppeditanda omnibus et singulis quatenus sunt membra totius societatis. Ad hoc instituuntur leges ut finis iste communis facilius procuretur. Non tamen est contra rationem legis ut respiciat unam classem in societate; nam ratio legis potest adhuc esse bonum totius, etiamsi ligat partem communitatis.

Ab eo qui curam communitatis habet: Quum lex primo et principaliter dicat ordinem ad bonum commune, et quum pertineat ad multitudinem vel ad gerentem vicem multitudinis ordinare aliquid in bonum commune, pertinet ad totum populum vel ad principem condere legem. I, II, q. 90, a. 3.

Communitas de qua hic agitur est *perfecta*, i. e. societas quæ habet in suo ordine finem completum et instructa est omnibus mediis necessariis ad illum attingendum. Pro tali perfecta communitate lex est moraliter necessaria, inspecto numero membrorum et aliis difficultatibus.

Quamvis imperfecta societas non necessario laboret tali necessitate, potest tamen accipere ab altiore potestatem legiferam et in hac comparari societati perfectæ.

Promulgata: Quomodo lex exerceret virtutem suam mensurandi, nisi applicaretur? "*Etenim imponitur aliis per modum mensuræ.*" (I, II, q. 90, a. 4). "Non novi peccatum nisi per legem."

Qualitates: Ex analysi definitionis clarum est omnem veram legem esse, 1^0, *utilem*, 2^0, *possibilem*, etiam moraliter, majori parti communitatis, 3^0, *justam*, ita ut si ratione materiæ sit injusta seu contra voluntatem altioris potestatis competentis, prorsus invalida sit; si ratione finis vel formæ, aut legalem aut distributivam justitiam lædat.

Differt lex a præcepto pluribus modis, inter quos hi recensentur:

a) Lex est ex potestate *jurisdictionis*, præceptum ex potestate *dominativa* provenire potest. (b) Lex est in bonum *commune*, præceptum sæpe in bonum *privatum*. (c) Lex ligat communitatem, præceptum individua membra. (d) Lex est *de se perpetua*, non vero præceptum. (e) Lex est *territorialis*, præceptum *personale*.

Dividitur: Ratione *originis* in Naturalem et Positivam; hæc in Divinam et Humanam, quæ aut Ecclesiastica aut Civilis est; ratione *effectus* in Affirmativam, Negativam, Permissivam, Pœnalem, Irritantem; ratione *formæ* in Scriptam et non-Scriptam.

DE AUCTORE LEGIS

Auctor legis seu legislator est subjectum cui ex jure constitutivo competit jus ferendi leges pro tota societate perfecta vel pro parte ipsius cum subordinatione ad legislatorem supremum, (sive ex jure constitutivo sive ex delegatione). Prior vocatur *supremus*, alter *subordinatus* legislator.

Deus est fons omnis legislationis sicut et totius auctoritatis. Est igitur legislator *absolute supremus*. "Unice rerum omnium Procreatori et Legislatori Deo ea potestas (ex se ligandi voluntates) est: quam qui exercent, tanquam a Deo secum communicatam exerceant necesse est." Leo XIII, *Diuturnum.*

In Societate Civili determinatur juxta diversas formas regiminis. "Neque existere neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates." *Diuturnum.*

In Ecclesia potestatem legiferam collatam Apostolis exercent hodie,

Romanus Pontifex *pro tota Ecclesia*, sive solus sive cum episcopis conlegislatoribus in concilio œcumenico. Potestas hæc est *exclusiva* eo sensu quod sine communicatione ab ipso accepta nullum aliud subjectum leges ferre potest universales.

De legislativa potestate SS. Congregationum, cf. Wernz I, n. 92, juxta quem "Congregationibus Romanis *absoluta* potestas legifera vere *universalis* pro *supremo* gradu et in *omnibus* materiis de facto non est concessa, neque de jure delegari potest."

Episcopi *pro diœcesi* leges ferre possunt, sive in synodo sive extra illam. Quando in synodo conduntur leges, Episcopus solus est legislator et sufficit ipsa promulgatio ibi facta ad obligationem inducendam. C. 362. Quando extra synodum fert legem, liber est ad determinandum modum promulgationis. C. 335. Eliminari videntur fundamenta prioris disputationis de requisitis ad veram legem extrasynodalem. Sive audito capitulo sive non, sive pars sive tota communitas astringatur, sive expresse dicatur esse lex sive non, est vera lex, dummodo ad normam sacrorum canonum lata sit.

Cardinales "in suis titulis vel diaconiis, postquam eorundem canonicam possessionem ceperint, omnia possunt quæ locorum Ordinarii in suis ecclesiis, exceptis ordine judiciorum et

qualibet jurisdictione in fideles, sed salvâ potestate in iis quæ ad disciplinam, morum correctionem, servitium ecclesiæ pertinent." C. 240, § 2. Collegium Cardinalium nequit, *Sede Vacante*, leges pro tota ecclesia ferre; non enim transit sed perit jurisdictio suprema. "Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium et Romana Curia non aliam habent potestatem quam quæ definitur in Const. Pii X, *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904." C. 241.

Patriarchæ, *Primates*, *Metropolitæ* qua tales nullo gaudent jure legislativo. C. 271 et sq. Idem a fortiori dici debet de pluribus prælatis inferioribus. Cf. Wernz, I, n. 93. Attamen "Prælati nullius cum territorio separato atque Vicarii Apostolici, Coadjutores Episcoporum cum plena administratione Episcopis quoad potestatem legislativam æquiparantur." Wernz, *l. c.*

Vicarii et *Præfecti Apostolici* iisdem juribus et facultatibus in suo territorio gaudent (ideoque leges ferendi) quæ in propriis diœcesibus competunt Episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit." C. 294, § 1.

Abbas vel *Prælatus nullius* easdem potestates ordinarias habet quas Episcopi in propria diœcesi. C. 323, § 1.

Vicarius Capitularis vel Administrator diœcesis, sede vacante, obtinet ordinariam jurisdictionem Episcopi, quæ tamen restringitur in jure. C. 435, § 1, 2; C. 436.

Superiores et *Capitula religionum* clericalium exemptarum habent ad normam constitutionum et juris communis jurisdictionem ecclesiasticam—præter dominativam potestatem. C. 501, § 1.

Concilia Plenaria et *Provincialia* leges ferre possunt pro suo territorio. Plenarium nequit celebrari nisi obtenta venia a Romano Pontifice. C. 281. Provinciale celebrari debet vicesimo saltem quoque anno. C. 283. Nequeunt acta sive plenarii sive provincialis promulgari antequam expensa et recognita fuerint a S. C. Concilii. C. 291. Revisio decretorum sæpe habet adjunctam confirmationem Apostolicam. Approbatio hæc generatim est *in forma communi* et non *in forma specifica, i. e. motu proprio et ex certa scientia.*

DE OBJECTO LEGIS

Objectum legis seu *id quod legislator præcipere potest* est *quidquid in bonum commune procurandum conferre rationabiliter judicat, et non est oppositum legi altiori.*

In bonum commune: ad hoc enim habet facultatem. Injuste enim ageret (contra justitiam legalem) qui legem inutilem vel nocivam conderet.

Non oppositum legi altiori: secus enim inhonesta esset lex. Attamen legitime potest aliquando permittere *tolerantiam* malorum. Cf. Vermeersch, I, n. 161.

Potest præscribere determinationes legis altioris et prohibere actiones de se indifferentes.

Limitatur potestas:

1. *quoad actus heroicos generatim.* Tam ardua opera imposita omnibus redderent impletionem generalem legum moraliter impossibilem. Sed ob extraordinariam indigentiam boni communis quandoque actus heroici imperari possunt.

2. *quoad actus mere internos, probabiliter*, quia non est hæc potestas necessaria vel utilis ad bonum societatis visibilis. Hoc certum est de civili societate. Disputatur de potestate Ecclesiæ in hac re. (Cf. S. Thom., I, II, q. 91, a. 4; q. 100, a. 9; Suarez, L. IV, C. XII, n. 7).

3. *quoad actus præteritos.*

"Leges respiciunt futura, non præterita nisi nominatim in eis de præteritis caveatur." C. 10.

(Cf. Bouquillon, n. 115; Van den Berghe, p. 58; Vermeersch, n. 173).

DE SUBJECTO LEGIS

Subjectum legis dicitur ille qui obligatur in actu primo ad legem observandam.

Ad hoc ut quis dicatur subjectum legis requiritur et sufficit ut *habitualiter* comprehendatur sub lege ita ut proxime expeditus sit ad suscipiendam actualem obligationem.

Eo quod quis *excusatur* a lege non propterea cessat esse subjectum. *Excusatio* enim non est *exemptio.*

Omnis homo est subjectum legis naturalis.

Etiam *pueri* et *amentes,* cum in rationali natura habeant impressam habitualem tendentiam ad cognoscenda principia legis naturalis, non alio indigent præter ipsum usum rationis ad incurrendam obligationem in actu secundo. Ergo proxime expediti sunt ad istam actualem obligationem suscipiendam. Aliis verbis, obligantur in actu primo, seu sunt subjecta hujus legis.

Provocare tales ad actus contra legem naturalem est malum et peccaminosum, licet ipsi non peccent. Cf. Bouquillon, p. 209, n. 6.

Nonnisi subditus qui habitualiter possidet usum rationis est subjectum legis humanæ.

Quum jurisdictio legislatoris humani restringatur diversis modis, liberantur plures a subjectione eo quod super istos legislator nullam habeat potestatem—non sunt *subditi.* Præterea, etsi ratione territorii, baptismi, vel cujuslibet similis tituli enumerandus esset quis inter subditos, tamen si caret usu rationis habitualiter, non est proxime expeditus ad suscipiendam obligationem actualem et personalem. In homine ita ligato non invenitur fundamentum proximum legis positivæ. *Ergo,* juxta definitionem, non est *subjectum legis* seu capax obligationis immediate recipiendæ.

Per se licet igitur dare carnes die vetito amentibus et infantibus. E contra, non licet eas tribuere dormientibus vel ebriis.

Speciales quæstiones de certis quibusdam classibus hominum eorumque inclusione sub legibus ecclesiasticis claram habent solutionem in novo codice.

Infideles: "Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt." C. 12. Lege divina utique tenentur

audiendi et acceptandi doctrinam sacram atque ingrediendi Ecclesiam. Non tamen sunt proxime expediti ad obligationem legis ecclesiasticæ suscipiendam, donec baptismum receperint.

Pueri et Amentes: Etsi tales baptizati vere sunt membra Ecclesiæ, non omnes subjacent ipsius legibus. Ratio cur isti omnes qui usu rationis habitualiter non gaudent, eximuntur, evidens est ex prædictis. Specialis legislatio Ecclesiæ eximit omnes pueros qui non compleverunt septimum annum, nisi in casibus quibusdam peculiaribus in quibus oppositum expresse dicitur.

"Legibus mere ecclesiasticis non tenentur . . . baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum ætatis annum nondum expleverunt, nisi aliud jure expresse caveatur." C. 12.

Hæretici, Schismatici, Excommunicati: Per se omnes subjacent legibus Ecclesiæ. Certe Ecclesia potest eos etiam invitos ligare. (Suarez, *De Leg.*, IV, c. 19, n. 2. "Licet hæretici, secundum præsentem statum non sint absolute membra, tamen aliquando fuerunt membra et contra jus Ecclesiæ acquisitum deliquerunt . . . inchoationem quamdam habent membrorum Ecclesiæ. Unde fit ut ejus præceptis obligentur et contra illa peccent illa non servando.")

Plures dicunt Ecclesiam non velle urgere *quasdam saltem præceptivas leges* contra hæreticos materiales hodiernos. (Bucceroni, n. 194).

Idem dici nequit generatim de legibus irritantibus, quamvis non tenentur ad formam in matrimonio.

Ipse Legislator non tenetur vi coactiva propriæ suæ legis, sed juxta plures, est levis obligatio directiva, indirecte deducta ex æquitate naturali conformandi se, quoad illa quæ non dedecent. Ex scandalo potest esse major obligatio.

Idem dicatur de Romano Pontifice relate ad leges Concilii.

Singuli tamen conlegislatores subduntur legi a collegio latæ.

Peregrini: Quum multæ sint leges simul territoriales et particulares, quæritur de obligationibus eorum qui versantur extra proprium territorium.

Incola loci est qui ibi habet *domicilium*, i. e. qui commoratur ibi cum animo perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel cujus commoratio sit jam protracta ad decennium completum.

Advena dicitur ille qui in eo loco habet *quasi domicilium*,

cujus commoratio in loco vel conjuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad majorem anni partem, si nihil inde avocet; vel sit reapse protracta ad majorem anni partem.

Peregrinus est qui versatur extra domicilium vel quasi domicilium quod adhuc retinet.

Vagus est qui nullibi domicilium habet vel quasi domicilium. C. 91, 92.

Jamvero quando lex conditur pro peculiari territorio, tenentur ab ea omnes incolæ et advenæ istius territorii dum *actu* ibi commorantur. C. 13.

1. ***Peregrini*** *non tenentur legibus particularibus proprii territorii,*

nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat (nam in his casibus per fictionem juris reputatur moraliter præsens ubi actio nocet, ut in exemplo absentis beneficiati).

aut leges sint personales. (Tales enim hærent ossibus. Hinc sacerdos suspensus nequit missam celebrare in aliena diœcesi).

2. *Peregrini non tenentur legibus territorii in quo versantur* (etiamsi leges omnino similes sed particulares vigeant in proprio suo territorio).

exceptis iis quæ ordini publico consulunt (uti sunt leges commerciales, criminales, vectigales in civilibus, leges latæ pro peregrinis).

vel actuum solemnia determinant (ut in materia contractuum).

3. *Peregrini tenentur legibus generalibus etiamsi hæ in suo territorio non vigeant,* (hinc Cubanus apud nos peregrinando ad abstinentiam in die veneris obligatur).

minime vero si in loco in quo versatur non obligent (proinde idem Cubanus edere carnes in Hispania posset ea die). C. 14.

Vagi obligantur legibus tum generalibus tum particularibus quæ vigent in loco in quo versantur. C. 14.

DE PROMULGATIONE LEGIS

Promulgatio est publica legis denuntiatio facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

Eligitur determinata quædam solemnitas, ita ut factum promulgationis facile cognosci et probari possit. Modus non determinatur a lege naturali; hæc enim solum exigit ut moraliter possit cognosci modo humano.

Obligatio quæ imponitur a promulgatione est *objectiva* seu *in actu primo.* In foro externo generatim sufficit promulgatio, nam facta promulgatione, notitia præsumitur. Sed ad conscientiam ligandam obligatione *subjectiva* seu *in actu secundo*, intimatio seu divulgatio legis requiritur.

Pontificiæ leges generatim promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicæ Sedis commentario officiali.* Non obligant donec post tres menses expletos a die qui Actorum numero appositus est, (nisi ex natura rei vel speciali statuto aliud constet). C. 9.

Episcopales leges obligant ab ipso momento promulgationis, (nisi aliud dicatur in ipsis). Relinquitur arbitrio Episcopi modus promulgationis. C. 335, §2.

Civiles: "In modern practice, it is usually by publishing one or more volumes of the laws and circulating them." Bouvier, Dict. *Promulgation.*

"The general rule in America is that an act takes effect from the time when the formalities of enactment are actually complete, unless it is ordered otherwise or there is some constitutional or statutory rule on the subject.

"The constitutions of many states contain provisions that acts shall not take effect till a certain time after their passage." *Id., Statute.*

DE ACCEPTATIONE LEGIS

Acceptatio Legis est submissio qua subditi legem recipiunt. Triplex distingui potest acceptatio:

1. *Constitutiva*, seu consensus populi in constitutionem legis, ut v. g. in casu *Referendi*, quod est jus ut lex, antequam vigorem obtineat, suffragio populi subjiciatur.

2. *Approbativa*, seu consensus populi in observationem vel executionem legis.

3. *Executiva*, seu ipsa executio vel observatio.

Necessitas acceptationis a populo, ut lex vim obligatoriam habeat, est quæstio vaga ob triplicem hanc significationem vocis *Acceptatio*. Respondendum est huic quæsito "an acceptatio est necessaria" juxta diversos sensus.

I. Ipsa forma regiminis (lex constitutionalis vel juris positivi statutum) potest legitime exigere acceptationem a populo antequam lex habeat vim obligatoriam. Nulla igitur est difficultas specialis moralis de acceptatione *constitutiva*.

II. ***Vis obligatoria legis nullatenus pendet ab acceptatione approbativa.***

Optime enim fieri potest ut, renitente populo, legislator habeat tum *voluntatem* tum *potestatem* ligandi. In tali casu nequit dici,

1^0 *deesse necessario voluntatem;* secus enim quævis lex esset merum consilium, continens hanc conditionem "si vobis placet."

2^0 *deesse potestatem;* nam si ita minuitur potestas essentialis legislatoris, fit mera facultas *suggerendi media populo.*

Inde infertur ratio damnationis hujus propositionis ab Alexandro VII: "Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam."

III. ***Acceptatio executiva non est necessaria ad vim obligatoriam legis.***

Sunt tamen casus in quibus absolvuntur subiti pro tempore ab observatione legis:

a) Si major et sanior pars *propter rationabilem causam* differt observationem donec repræsentatio fiat principi, locus est epikeiæ.

b) Si major et sanior pars respuit legem sine recursu, probabiliter alia pars non tenetur ad observandum cum magno suo incommodo.

Cf. Bened. XIV, *De Syn.*, L. XIII, c. 5, n. 3.

DE OBLIGATIONE LEGIS

Vis Obligatoria

I. *Est aliqua obligatio in conscientia ex omni lege.* Quoad leges Ecclesiæ constat ex Matt. XVI, "Quodcumque ligaveris," ex Trid. Sess. VII, c. 8. Quod spectat leges civiles habetur "Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit." Rom. XIII.

Obligatio legis civilis in conscientia producitur independenter a speciali explicita voluntate legislatoris ad ligandum hoc modo. Vi ipsius imperii implicite imponitur, etiamsi sit atheus. Aliquando obligatio in conscientia est categorica et absoluta, i. e. ad ipsam actionem ponendam vel omittendam; aliquando est conditionalis et disjunctiva, i. e. aut ad actionem ponendam vel omittendam aut ad subeundam pœnam.

II. *Obligatio quandoque est gravis quandoque levis.* Mensura et criterium gravitatis est duplex, a) *gravitas materiæ* et b) *voluntas legislatoris.* Ut ergo obligatio sit gravis requiruntur hæc duo: a) *materia gravis,* saltem ratione finis et circumstantiarum; b) *intentio* saltem implicita imponendi *gravem* obligationem.

Proinde legislator nequit gravem obligationem imponere, si spectatis omnibus circumstantiis, materia est levis; esset enim noxia et irrationabilis lex.

E contra, probabilius potest *sub levi* obligare in materia gravi. Fieri enim potest ut finis sufficienter obtineatur hac via.

Ut cognoscatur utrum materia sit gravis, inspiciendum est utrum finis sit magni momenti et res præscripta multum conferat ad illum assequendum, ut v. g. usus paramentorum ad dignitatem cultus divini; observatio festorum ad publicum Dei cultum; abstinentia et jejunium ad praxim pœnitentiæ et mortificationis.

Intentio legislatoris cognoscitur ex verbis quibus utitur, ex pœnis injunctis, ex consuetudine.

III. Contemptus formalis *legislatoris qua talis* aut *legis qua talis in quacumque materia* est peccatum mortale.

Talis autem contemptus non est legislatoris qua *indocti* vel *imprudentis* vel *infimæ sortis,* neque est contemptus legis *ut rei parvi momenti.*

IV. Lex fundata in præsumptione, i. e. rationabili præsupositione, aut *factum* præsupponit aut *periculum generale.*

Si *factum præsuppositum* non existit, lex cessat, quia falsa ostenditur præsumptio.

Si *periculum commune* non habet locum in particulari aliquo casu, remanet obligatio etiam pro isto casu, quia vera manet præsumptio. C. 21.

Satisfactio Obligationis

Impletur lex si sortitur effectum intentum a legislatore.

Ergo ad satisfaciendum requiritur et sufficit,

(1) ut voluntarie fiat actio quæ jubetur; *hinc non requiritur intentio implendi legem vel obtinendi finem in lege affirmativa.*

(2) ut omittatur actio quæ prohibetur; hinc qui dormit per totum diem adimplet legem jejunii.

(3) ut simplex effectus obtineatur, quando nihil aliud respicitur a lege.

Causæ Deobligantes

Duplex est causa quæ liberare potest subditum ab obligatione servandi legem, **causa eximens** quæ subtrahit a dominio, et **causa excusans,** quæ est impedimentum reddens impletionem legis physice vel moraliter impossibilem.

Hæc distinctio est summi momenti quando quæritur de liceitate procurandi causam deobligantem. Discrimen est in hoc quod lex per se non exigit ut maneamus subditi; proinde nulla est prohibitio procurandi exemptionem. E contra lex per se prohibet ut subditi pro lubitu eam frustrentur, quærendo impedimenta quæ excusant.

Ex his principiis facile intelligentur rationes propositionum quæ sequuntur.

I. Procuratio exemptionis etiam directa et proxima nullo modo per se prohibetur.

Procuratio directa—in se intenta tamquam finis.

Procuratio proxima—a lege quæ brevi urget.

Per se—præcisione facta a speciali prohibitione; potest enim

lex prohibere discessum, v. g. a militia, in fraudem legis, parochi, v. g. ob bonum commune.

II. (*a*) ***Procuratio impedimenti excusantis directa semper prohibetur.***

(*b*) ***Procuratio impedimenti indirecta et remota nunquam prohibetur.***

(*c*) ***Procuratio impedimenti indirecta et proxima prohibetur nisi sit ratio relative gravis.***

N. B. Ad determinandum quænam sit ratio proportionate gravis, vide principia data a Sanchez apud Genicot.

Cf. etiam I, II, q. 10, aa. 9 et 10.

CASUS

1. Antonius ex civitate Pueblo in Statu Colorado solet diebus Veneris ad alteram partem fluminis transmeare non alia de causa nisi ut impune possit carnibus vesci. At ipsius uxor, quæ acatholica est, carnibus etiam vescitur domi ipsa et filii ejus Julius decennis et Ascanius non adhuc septennis. Rem familiarem gerunt duæ ancillæ, Mexicana una, Canadensis altera, cumque ambo vellent servare festa et vigilias juxta patrium morem, perpetua viget inter eas discordia.

℟. *Antonius non peccat;* utitur enim jure suo subtrahendi se a lege. Nemo tenetur per se manere subditus legis.

Uxor probabiliter non peccat, (nisi sit hæretica formalis).

Julius decennis *peccat* per se.

Ascanius non peccat, quia leges mere ecclesiasticæ non obligant ante septimum annum nisi aliud expresse caveatur. (Can. 12).

Duæ ancillæ sunt advenæ, habentes quasi-domicilium; tenentur igitur legibus istius territorii in quo versantur, et non legibus patriæ. (Can. 13).

2. Terentius, dives mercator, solitus fuit tempore æstivo ruralem domum cum filiis petere ubi nullam poterat audire Missam; imo et verno et autumnali tempore, non semel Sabbato sub vesperas eo quoque se recipiebat ut tranquillius vitam duceret die sequenti. Exinde factum est ut ipsius filius Terentiolus, novennis, difficile nunc inducatur ad ecclesiam ingrediendam. Quare ejus mater, quæ piissima est, Catharinæ famulæ jubet ut illum summo mane ad Missam comitetur et manu veluti cohibeat. Catharina ægre

hoc præstat, nec intendit propriæ obligationi satisfacere, ut inde prætextum capiat ecclesiam iterum adeundi, hora decima, sericas vestes ab amasio nuper acceptas ostensura.

℟. *Terentius* immunis forsan est a violatione legis ecclesiasticæ eo quod procuratio impedimenti neque est directa neque proxima. Non est immunis a violatione legis naturalis, si prævidet effectum hujusmodi praxis in educatione filii.

Terentiolus formaliter peccat contra præceptum Ecclesiæ si deliberate nolit audire Missam. Si vero in ecclesiam ductus tandem submittit, adimplet præceptum, neque tenetur ad aliam Missam audiendam.

Catharina satisfacit obligationi, non obstante intentione non adimplendi, dummodo velit reverenter adesse. Non tenetur aliam audire.

DE INTERPRETATIONE LEGIS

Interpretatio est explicatio sensus legis seu voluntatis legislatoris.

Authentica interpretatio ea est quæ datur ab ipso legislatore vel ab alio eamdem potestatem habente.

Authenticus interpretator potest esse superior competens legislatoris, successor, vel alius cui ab eis committitur munus interpretandi, ut v. g. Congregationes Romanæ. C. 17, § 1.

Hujusmodi explicatio eadem vi gaudet ac ipsa lex, nam genuinam continet indicationem voluntatis auctoritatis legitimæ.

Olim disputabatur an promulgatio nova requireretur ad vim legis vindicandam interpretationi authenticæ. (Cf. Bouquillon, p. 286; Wernz, I, n. 100-107; Van der Berge, p. 198). *Hodie vero res clarior evadit ex distinctionibus adhibitis in Codice juxta quem sequens sit divisio interpretationis authenticæ:*

Declarativa tantum est explicatio legis claræ. Ambiguitas vel obscuritas aliqua potest oriri in subjecto ex adjunctis, quamvis verba legis in se sint sufficienter clara. Interpretatio declarativa hæc urget, repetit vel explanat sensum jam clare expressum. Vix est interpretatio stricte dicta; proinde *non indiget promulgatione* et est retroactiva. C. 17, § 2.

Extensiva est interpretatio quæ addit aliquid ultra proprium sensum verborum. Inducit hæc interpretatio veram mutationem, quoniam illud additamentum non fuit contentum in lege ab initio. Indiget promulgatione ut quævis nova lex, neque habet vim retroactivam. C. 17, § 2.

Restrictiva interpretatio etiam mutat sensum proprium verborum sed coarctando limites infra illos terminos ad quos antea lex clare pertingebat. Quum iterum sit æquivalenter nova lex, eget promulgatione et non valet retrorsum. C. 17, § 2.

Comprehensiva vocatur interpretatio quæ exponit legem dubiam et obscuram. Est interpretatio stricte dicta. Etsi quædam sit diversitas inter auctores quoad usum nominis "*comprehensiva*," intelligimus hic eam interpretationem quæ supponit verba objective obscura et ambigua et quæ reddit sensum auctoritativum neque extendendo neque coarctando proprium sensum

verborum. De hac interpretatione fuit disputatio quoad necessitatem promulgationis. Dirimitur a canone 17, § 2, Codicis, in quo explicite dicitur eam interpretationem quæ legem dubiam explicat, egere promulgatione et proinde non retrotrahi.

Quamvis rescripta data in casibus particularibus et sententiæ judiciales habeant vim directivam pro aliis, non tamen sunt leges neque vim authenticæ interpretationis possident. Obligant istas tantum personas et afficiunt istas tantum res quas directe tangunt. C. 17, § 3.

Usualis interpretatio aut meram observantiam actualem certi cujusdam modi agendi aut ipsam consuetudinem legitimam significat. Si priore sensu accipitur, habet vim tantum directivam; si altero sensu, est ipsa lex, de qua dicitur "*Consuetudo est optima legum interpres.*" C. 29.

Doctrinalis interpretatio ea est quæ a viris doctis traditur. Non habet vim legis sed est licita et tuta via qua homines se dirigere possunt dummodo servet regulas jurisprudentiæ et leges Ecclesiæ, quæ in quibusdam prohibent ejus usum.

Regulæ sanæ interpretationis continentur in C. 18. Sunt sequentes:

1. Ipsa verba sumenda sunt juxta propriam significationem, inspecto etiam contextu.

2. Manente dubio, consuli debent loci paralleli; deinde finis legis, circumstantiæ et mens legislatoris inspicienda sunt.

3. Lex pœnalis et lex odiosa subsunt strictæ interpretationi.

Lex odiosa intelligitur ea quæ nocet libero jurium exercitio vel quæ exceptionem a lege continet.

Per *strictam* interpretationem significatur ea quæ tendit ad restringendam extensionem legis. *Lata* interpretatio inclinat ad ampliandam extensionem legis dubiæ.

DE EPIKEIA

Epikeia (ἐπιείκεια) vi vocis est *æquitas, lenitas, benignitas* in interpretatione vel applicatione legis.

"*Correctio legis, cum deficit propter universale.*" Arist., *Ethic.*, V. 10.

Ita S. Thomas, I, II, q. 69, a. 6; II, II, q. 120, aa. 1, 2: "*Est prætermissio verborum legis ad sequendum id quod poscit justitiæ ratio et communis utilitas.*"

Et Suarez, *De Leg.*, II, 16: "*Est interpretatio qua declaramus legem deficere in particulari casu propter universale, id est, quia lex universaliter lata est et in aliquo particulari ita deficit, ut juste in illo servari non possit.*"

Ex his clarum est (1) cur dicatur *emendatio*, quia nempe recedit a clara significatione verborum legis; (2) cur sit actus *justitiæ*, nam "servare verba legis in his casibus esset contra æqualitatem justitiæ et contra bonum commune quod lex intendit"; (3) cur in casibus hujusmodi, quando scilicet adhæsio literæ legis involvit certum peccatum vel damnum vel onus intolerabile, nulla sit necessitas recurrendi ad superiorem; quia vel cessat lex vel ejus obligatio.

Sunt et alii casus in quibus observatio verborum legis esset licita, quum non importaret aliquid contra bonum commune, et nihilominus sunt rationes judicandi legislatorem non voluisse hunc casum includere. Si hoc sit certum, sine dubio licet prætermittere legem, nam interpretatio ista est prorsus legitime acquisita. Si vero dubium manet, consulendus est superior si consuli potest, nam tunc est quæstio de dispensatione.

Cf. Bucceroni, I, n. 179; D'Annibale, I, p. 181; Bouquillon, n. 159.

DE DISPENSATIONE LEGIS

Dispensatio est relaxatio legis in casu speciali. C. 80.

Differt a *cessatione* legis, quia etiam dispensatus remanet subjectum legis. Differt ab *epikeia*, quia dispensatio a competente superiore conceditur. Non est *declaratio exemptionis* qua superior vel doctor pronunciat casum non comprehendi. Neque est *licentia* seu consensus requisitus ut quis juxta legem agat. Tandem, non est *privilegium*, quod est derogatio legis de se perpetua et potest esse præter legem.

Dispensator legitimus in genere est *conditor* legis, ejus *successor* vel *superior* et ille cui ab ullo ex prædictis facultas dispensandi *concessa fuerit.* C. 80.

Ordinaria potestate dispensat ille cui facultas competit vi officii, i. e. Superior. Inferiores dispensant potestate tantum *delegata.*

In specie quoad potestatem dispensandi:

Romani Pontifices in quavis lege mere ecclesiastica, etiam universali, dispensare possunt.

Disputatur an et quatenus dispensare possint in lege divina. Certe non possunt in absoluta lege divina, v. g. circa formam sacramenti adhibendam. Possunt in iis obligationibus erga Deum quæ fundantur super actum voluntatis, ut in votis et juramentis. De quibusdam dubitatur an actus pontificius absolvens ab obligatione sit *Declaratio* vel *Dispensatio*, ut in casu interpellationum faciendarum ab eo qui adhibere vult privilegium Paulinum.

Episcopi non habent, generatim loquendo, propriam et ordinariam potestatem dispensandi suos a generalibus legibus Ecclesiæ. (Cf. Suarez, *De Leg.*, VI, 14; S. Alph., L. I, n. 161; Bouquillon, p. 365). Possunt tamen in his legibus universalibus suos subditos dispensare quando conceditur ipsis potestas sive explicite sive implicite. Conceditur ipsis in jure hæc potestas in casibus quibusdam particularibus, videlicet quando tres sequentes conditiones simul verificantur; (a) si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem, (b) si sit periculum gravis damni in mora, (c) si sit casus in quo Sancta Sedes dispensare solet. C. 81. Episcopi aliique locorum Ordinarii dispensare valent in legibus diœcesanis.

Imo possunt Ordinarii locorum dispensare a legibus latis in Concilio plenario vel provinciali, sed solum in casibus particularibus et justa de causa. C. 82 et C. 291. Eodem modo restringitur potestas eorum circa leges pontificias speciatim latas pro suo territorio ac circa leges universales. C. 82. Amplior facultas conceditur in lege de observantia festorum et diebus jejunii. C. 1245. Sicut etiam in votis C. 1313, et juramentis, C. 1320, aliisque ut ex CC., 15, 1402, 459, 990, 1028, 1030, 978, sicut in impedimentis matrimonii et in pluribus casibus occultis.

Parochi nullo gaudent jure dispensandi sive a generalibus sive a peculiaribus legibus "nisi hæc potestas expresse eisdem concessa sit." C. 83. Quod fit in C. 1245 quoad observantiam festorum, etc.

Causa justa et rationabilis semper exigitur antequam dispensatio licite concedatur. Sine tali causa dispensator deficeret in prudentia et æquitate. Sedulo tamen attendendi sunt diversi casus:

Causa justa et rationabilis non erit eadem pro omni lege. Spectari enim debet gravitas legis. Neque requiritur ut talis sit quæ de se sufficeret ad excusandum a lege. Imo, si dubitatur an sufficiens sit, licite petitur et tum licite tum valide conceditur dispensatio. C. 84.

Ipse legislator, Superior ejus et successor, quamvis *illicite* (saltem venialiter) concederent sine causa, *valide* tamen dispensarent, sicuti valide abrogarent ipsam legem. E contra, *inferior* delegatus ad dispensandum non tantum *illicite* (et graviter quidem in re gravi) sed *invalide* dispensaret sine causa saltem probabiliter justa. C. 84. Quando ex mera ignorantia delegatus negligit inquisitionem et causa revera existit, probabiliter valet dispensatio tunc concessa, nisi Superior requisierit examen tamquam conditionem et formam.

Peccat ille qui *petit* dispensationem sine causa, quatenus inducit alium ad rem illicitam peragendam. Gravis vel levis erit culpa prout consentiens graviter vel leviter peccaverit. Quod spectat *validitatem* ex parte *petentis*, quævis obreptio (i. e. expositio falsi) vel subreptio (i. e. reticentia veri) essentialis reddit dispensationem nullam. Porro essentialis obreptio habetur quando nulla causa motiva (i. e. de se sufficiens) in petitione expressa, vera est. Subreptio essentialis est omissio alicujus elementi quod de stylo Curiæ est ad validitatem exprimendum.

De aliis quæ tangunt validitatem, cf. *Cod. Lib. I, Tit. IV, C. 36–62.*

Interpretatio: *Facultas dispensandi generalis* est latæ interpretationis; non vero facultas *ad certum casum* concessa.

Quoad interpretationem ipsius *dispensationis*, lata est nisi in casibus expressis apud canonem 50, de Rescriptis, scilicet "In dubio, rescripta quæ ad lites referuntur, vel jura aliis quæsita lædunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, strictam interpretationem recipiunt."

Cessatio: "Dispensatio quæ tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, necnon certa ac totali cessatione causæ motivæ. C. 86.

"*Quæ tractum habet successivum.*" Alia species dispensationum est *absoluta*, alia *quæ habet tractum successivum.* Prior est ea quæ unico actu perficitur et cujus effectus est indivisibilis, ut v. g. super impedimentum consanguinitatis; de his nulla est specialis difficultas. Posterior seu quæ habet tractum successivum, est dispensatio cujus effectus non instantanee sed quasi repetitis vicibus obtinetur, ut v. g. in lege abstinentiæ, in recitatione breviarii, in festis celebrandis.

"*Iisdem modis quibus privilegium,*" etc., i. e.,

a) Per *revocationem.* C. 60, juxta quem "perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit, significetur."

Qui propria auctoritate dispensavit, valide potest revocare semper, in his quæ tractum successivum habent. Qui delegata potestate dispensavit, nec valide nec licite revocat, nisi hanc potestatem acceperit; nam nequit condere legem. Qui habent generalem facultatem possunt. (Cf. Vermeersch). Per mortem concedentis generatim non cessat. Cessat autem resoluto jure concedentis (sive morte sive alio modo) si data fuerit cum clausula "ad beneplacitum nostrum, vel alia æquivalenti." C. 73.

b) "Per *renuntiationem a competente Superiore acceptatam.*" C. 72. Si quæritur, de liceitate renuntiationis, distinguendum est inter (1) dispensationes concessas *personæ privatæ in sui tantum favorem*, (et has renuntiare talis potest) et (2) dispensationes concessas communitati, dignitati vel loco, (quæ numquam a privata persona renuntiari possunt, neque ab ipsa communitate,

si dispensatio concessa fuerit per modum legis vel si renuntiatio cedat in Ecclesiæ aliorumve præjudicium). C. 72.

c) *Certa ac totali cessatione causæ motivæ*, i. e. quando non remanet probabilitas *unius causæ motivæ* adhuc durantis.

CASUS

Instante tempore Quadragesimali anni millesimi nongentesimi undevicesimi (1919), Apollonius, reputans se non posse jejunare ratione infirmitatis qua laborat, petit a suo confessario dispensationem pro toto tempore Quadragesimali. Confessarius, qui est Rector inamovibilis Neo-Eboracensis, dubitat an possit talem dispensationem concedere. Multiplex est ratio dubitandi, partim ob incertas dispositiones Codicis, partim quia existimat infirmitatem Apollonii non esse valde gravem. Attamen melius sibi efformata conscientia, illam concedit.

Duabus vix elapsis hebdomadis, Apollonius recuperat valetudinem, dubitatque an possit ulterius uti dispensatione jam habita. Ad confessarium iterum pergit et ab eo quærit solutionem dubii.

℟. Ex novo Codice sat clarum est Apollonii confessarium esse parochum stricte dictum. (CC. 216, 451). Aeque clarum est ipsum gaudere facultate dispensandi.

Neque debet hærere ob dubium de gravitate infirmitatis Apollonii. (C. 84, §2).

Omnia jam soluta sunt præter ultimum punctum, de cessatione scilicet dispensationis. Certe cessavit; nec valide nec licite potest confessarius eam prorogare. (C. 86).

DE CESSATIONE LEGIS

Diversi sunt modi quibus lex cessat. Præcipui sunt,

1. **Abrogatio,** vel **Derogatio,** prout totaliter vel ex parte lex aboletur a competente superiore.

Quoad leges ecclesiasticas, lex posterior generalis ordinarie relinquit intacta statuta localia et personalia etiam contraria (nisi lex generalis posterior sit canon Codicis; cf. C. 6, § 1); sed alias leges æque generales tollit, quoties aut hoc expresse dicit, aut est illis directe contraria aut de novo ordinat totam materiam præcedentis legis. C. 22.

2. **Cessatio causæ motivæ totalis;** tum enim cessat lex esse rationabilis.

Si quæritur utrum, cessante ratione legis in casu particulari, adhuc urgeat lex, distinguendum est inter meram cessationem periculi ad quod præcavendum lex lata est, et casum in quo, spectato fine legis, rationabiliter legislator vellet oppositam actionem. In priore casu lex adhuc urget individuum. C. 21. Non item in altero casu.

3. **Per desuetudinem legitimam.**

DE LEGE ECCLESIASTICA

Lex Ecclesiastica dicitur, quæ a potestate ecclesiastica fertur.

Ista potestas ecclesiastica potest oriri aut immediate ex jure divino aut ex commissione potestatis ecclesiasticæ. Legislatores ecclesiastici igitur sunt aut Romanus Pontifex, Concilia (œcumenica, plenaria vel provincialia), Episcopi residentiales, aut aliæ personæ morales quibus Romanus Pontifex hanc jurisdictionem et potestatem legislativam commisit, ut Sacræ Congregationes Romanæ, Cardinales, Delegati Sedis Apostolicæ, Vicarii Apostolici, Superiores et Capitula (juxta normam constitutionum et juris communis) religionum clericalium exemptarum.

Fontes legum ecclesiasticarum præcipui momenti practici sunt (1) *Codex Juris Canonici*, (2) *Jus Vetus*, (3) *Sacrarum Congregationum Decreta.* Pauca de singulis sufficient ad scopum nostrum.

Codex continet canones 2414 in 5 libris distributos. Contenta librorum sunt: (1) Normæ Generales, (2) De Personis, (3) De Rebus, (4) De Processibus, (5) De Delictis et Pœnis.

In genere, Codex non afficit disciplinam Ecclesiæ Orientalis, leges liturgicas, conventiones initas ab Apostolica Sede cum Nationibus; neque abrogat privilegia vel indulta Apostolica nisi per expressam revocationem.

Consuetudines contrariæ (sive universales sive particulares) ipso facto supprimuntur, nisi sint centenariæ, quæ ab Ordinariis locorum tolerari possunt, vel nisi expresse concedatur aliquid consuetudini.

Leges contrariæ (sive universales sive particulares) etiam abrogantur (nisi aliud de particularibus expresse caveatur).

Pœnæ non hic memoratæ abrogantur.

Leges disciplinares quæ non explicite vel implicite continentur in Codice, etsi non contrariæ præscriptionibus ejus, vim omnem omittunt. Attamen leges particulares quæ non opponuntur ulli canoni novi Codicis, dicendæ sunt contineri implicite in Codice ex C. 22.

Nullatenus evadit inutile jus vetus; nam ad interpretandum codicem, adhibendæ sunt interpretationes veteris in iis quæ concordant; et in dubio circa concordantiam, a vetere non est recedendum.

Jus Vetus seu Corpus Juris Canonici sex constat partibus;

Partes	*Contenta*	*Modus Citandi*
I. *Decretum Gratiani. 1151.*	*Personæ*—101 Distinctiones in capita divisæ.	Cap. jejun. 7, Dist. 76.
	Actiones–36 Causæ, in quæstiones et hæ in capita distributæ.	Qui 13, q. 5, c. 32.
	Res–5 Distinctiones in capita distributæ.	Cap. est Unitas 49, Dist. 4, De Consec.
II. *Decretales.*	5 Libri in titulos et capita distributi.	Decretal. lib. 2, tit. 28, cap. 28 vel Cap. Pervenit 28 de Appellationibus.
III. *Sextum.*	5 Libri-tituli-capita.	In 6°— " "
IV. *Clementinæ.*	" " "	In Clem. " "
V. *Extravagantes Joannis XXII.*		Extrav. Joannis XXII, tit. 4, cap. 1.
VI. *Extravagantes Communes.*	" " "	Extrav. Com. Lib. 5, De Hær. cap. 2.

Sacræ Congregationes

Sancti Officii: doctrinam fidei et morum tutatur.

a) Judicat de delictis sibi reservatis.
b) Privilegium Paulinum, disparit. cult., mixtæ relig.
c) Prohibitio librorum.
d) Jejunium Eucharisticum sacerdotum.

Consistorialis: parare agenda in consistoriis, et providere regimini Ecclesiæ.

a) Novas diœceses, provincias, capitula constituere (nisi ubi ad C. de P. F. vel ad C. pro N. E.).
b) Dividere diœceses.
c) Proponere candidatos.
d) Generalis cura de bono statu diœces.

De Disciplina Sacramentorum: universa legislatio *de Sacramentis* (*nisi quod ad S. O. et S. C. R. pertinet*).

a) Tum de Matrimonio, tum de Ordine, Eucharistia et aliis Sacramentis.

b) De facto inconsummationis; de existentia causarum ad dispensat.

Concilii: disciplina cleri sæcularis, populique Christiani. Facultates dispensandi a præceptis. Parochi, canonici, piæ sodalitates et uniones, legata opera, stipes missarum, beneficia, bona ecclesiastica, tributa, etc.

Celebratio conciliorum.

Religiosorum negotiis proposita: disciplina, regimen, studia, bona et privilegia omnium religiosorum.

De Propaganda Fide: in locis missionum.

Sacrorum Rituum: omnia circa ritus et cœremonias Ecclesiæ Latinæ et de beatificatione et canonizatione servorum Dei; de reliquiis.

Cœremonialis: cœremoniæ in Sacello Aulaque Pontificali; Cardinalium sacræ functiones; præcedentia Cardinalium et Legatorum.

Pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis: Constitutio, divisio, provisio diœcesium in locis ubi cum civilibus guberniis agendum est. Specialia insuper negotia ei commissa a S. Pontifice per Card. Secret. Status, ut v. g. de pactis.

De Seminariis et Universitatibus Studiorum:

a) Regimen, disciplina, temporalis administratio et studia Seminariorum.

b) Regimen et Studia Universitatum dependentium ab auctoritate Ecclesiæ etiam religiosorum.

c) Graduum conditiones ponit.

Pro Ecclesia Orientali: Omnia negotia Ecclesiarum Orientalium (salvo jure S. O.).

DE LEGE CIVILI

Quum status sit societas perfecta ad bonum commune temporale procurandum, ex necessitate naturali exsurgens, auctoritas ejus ab Auctore naturæ collata includit facultatem condendi leges. (Cf. I, II, q. 91, a. 3; q. 95, a. 1; Suarez, *De Leg.*, I, c. 3, nn. 18-20; II, cc. 1-4; Bouquillon, *Th. Fund.*)

Ita apud nos dividuntur leges civiles:

I. *Lex non Scripta.*

Jus Romanum—"The civil or Roman law is the system embodied in the compilations made in the reign of Justinian. It lies at the basis of the legal systems of all of the nations of continental Europe."

Jus Commune—"That system of unwritten law which grew up in England and forms the basis of the English legal system.

"In the United States, the Federal government does not possess a complete unwritten legal system. When the Federal courts are called upon to decide a case to which no written laws apply, they distinguish between matters of local law and matters of general law.

"The English common law is adopted, so far as suited to American institutions, as the unwritten law of all the States except Louisiana. In that State the Roman law prevails."

II. *Lex Scripta;* seu *Statutorum.*

"The written law of the Federal government in the United States consists of the Federal constitution, the treaties made by its authority, and the acts of Congress.

"The written law of each individual State consists of its own constitution and the rules enacted by its legislature.

"All laws laid down by a legislative body are called 'Statutes.'"

Smith's *Elementary Law*, pp. 43-67.

DE LEGE PŒNALI

Prænot. I. Ex ipsa definitione legis constat in omni lege dari obligationem in conscientia. Ergo omnis violatio legis importat aliquem reatum pœnæ saltem a Deo infligendæ.

Attamen, *lex pœnalis* technice importat *voluntatem legislatoris humani circa actum præscriptum vel prohibitum sub pœna temporali a potestate humana infligenda.*

Prænot. II. Triplici modo potest legislator humanus præcipere actum vel omissionem;

1⁰—*absolute, sine ulla determinatione pœnæ* annexæ violationi ipsius.

Vix cogitari potest lex humana (saltem civilis) efficax cujus violatio non est obnoxia alicui pœnæ a potestate cœrcitiva imponendæ. Si tamen existeret, non vocaretur lex pœnalis.

2⁰—*absolute, cum pœna determinata annexa.* Plurima sunt exempla hujusmodi legum tum in Ecclesia tum in statu civili. Obligantur subditi in conscientia ad ipsam actionem ponendam vel omittendam; sed præterea incumbit obligatio violatori accipiendi pœnam impositam. Vocantur hæ leges *mixtæ.*

3⁰—*hypothetice,* i. e., ita ut velit legislator ligare aut ad actionem vel omissionem aut ad pœnam statutam subeundam.

Talis lex non obligat ad actionem in conscientia, et vocatur *lex simpliciter pœnalis.*

Lex *pure pœnalis* in sensu quod nulla datur obligatio in conscientia etiam ad pœnam accipiendam, est contradictio in terminis.

Leges Pœnales Ecclesiasticæ sunt revera omnes *mixtæ,* i. e. obligantes in conscientia independenter a pœna. Ecclesia enim non fert leges nisi de rebus majoris momenti quas in conscientia ligare vult.

Circa leges ecclesiasticas quæ statuunt pœnam, notandum est (1) eas esse strictæ interpretationis (C. 19); (2) determinationem vel temperationem pœnæ relinqui judici quando pœna est ferendæ sententiæ et lex verbis utitur *facultativis* (C. 2223, § 1); quamvis verbis *præceptivis* utitur, etsi ordinarie est infligenda, multas adesse exceptiones relictas conscientiæ judicis, v. g. quando dilatio videtur præferenda, quando reus perfecte emendatus est vel jam sufficienter punitus, quando datur circumstantia minuens imputabilitatem. De aliis cf. *Cod.,* Lib. V.

Leges Pœnales Civiles simpliciter tales non sunt raræ. Hac enim via legislatores sæpe efficaciter obtinent finem temporalem et nolunt ulteriorem obligationem imponere.

DE LEGE IRRITANTE

Irritare, (in-ratum) idem est ac reddere nullum.

In præsenti materia applicatur *legi* quæ reddit nullum seu invalidat *actum juridicum.*

Per actum juridicum intelligitur actus quo aliquis manifestat suam voluntatem acquirendi, tollendi, vel modificandi aliquod jus.

Lex irritans est lex quæ impedit quominus actus juridicus obtineat effectum suum juridicum ab agente intentum.

De fide definita est Ecclesiam habere potestatem condendi talem legem quoad contractum matrimonialem. Ergo a fortiori potest condere alias leges irritantes.

Praxis Ecclesiæ ostendit potestatem eamdem possideri a Statu Civili ligandi etiam conscientias legibus suis irritantibus. (Cf. Gestel, LXV, p. 163).

Sine hujusmodi potestate sæpe non possent legislatores efficaciter providere bono communi.

Irritatio fit aut directe attingendo personam agentem quam reddit lex inhabilem, aut directe afficiendo actum, ponendo scilicet conditiones ut actus firmus sit vel validus.

Modi quibus lex irritat actum sunt:

1° Non protegendo seu assistendo in foro externo (et tales leges sunt *improprie irritantes*). Cf. C. 1017, § 3.

2° Decernendo illum annulandum esse vel annulari posse per sententiam judicis.

3° Reddendo illum invalidum per seipsam, sine sententia judicis, sed civiliter tantum invalidum.

4° Invalidando per seipsam in utroque foro.

In jure Ecclesiastico. "Irritantes aut inhabilitantes eæ tantum leges habendæ sunt quibus aut actum esse nullum, aut inhabilem esse personam expresse vel æquivalenter statuitur." C. 11.

Leges irritantes et inhabilitantes, sicut aliæ leges, admittunt dubia tum juris tum facti: *juris*, i. e. quando ipsa lex est objective incerta relate ad inclusionem talis actus; *facti*, quando vera natura actus ponendi est incerta. Relate ad primum, *leges hæ non* urgent. Relate ad secundum, Ordinarius potest dispensare in iis legibus in quibus R. P. solet. C. 15.

Ignorantia harum legum non excusat, nisi aliud expresse dicatur. C. 16, § 1.

DE CONSUETUDINE

Consuetudo est jus quoddam ortum ex frequentia actuum similium alicujus communitatis.

Ipsa frequentia actuum est solum pars materialis consuetudinis seu consuetudo facti.

Præter legem est quæ habetur deficiente lege scripta.

Secundum legem est æquivalens interpretatio authentica legis jam existentis.

Contra legem est æquivalens abrogatio vel derogatio legis existentis.

Agnoscitur in utroque jure validitas juridica consuetudinis, dummodo debitis vestiatur conditionibus.

Quoad jus ecclesiasticum, "*vim legis obtinet*," C. 25, C. 26; "*legem inducit*," C. 28; "*est optima legum interpres*," C. 29.

Quoad jus nostrum civile, "*Custom is such a usage as by common consent and uniform practice has become the law of the place, or of the subject matter to which it relates*"; "*While præscription is the making of a right, custom is the making of a law.*" Bouvier, *Custom.*

Conditiones requisitæ ut consuetudo legitima habeatur, sunt:

1. Ut sit ***rationabilis,*** i. e. inserviens bono communi et minime repugnans legi naturali, divinæ, vel humanæ majoris momenti.

In jure ecclesiastico, "*Juri divino sive naturali sive positivo nulla consuetudo potest aliquatenus derogare; sed neque juri ecclesiastico præjudicium affert, nisi fuerit rationabilis . . .* C. 27, § 1; "*Consuetudo quæ in jure expresse reprobatur, non est rationabilis.*" C. 27, §2; "*Vigentes . . . consuetudines . . . si quidem ipsis canonibus expresse reprobentur, tanquam juris corruptelæ corrigantur.*" C. 5.

In jure civili nostro, "*Customs must be reasonable and certain*"; "*A local custom . . . supersedes the local law. . . . It must have been reasonable.*" Bouvier, *Custom.*

Hæc conditio nullatenus impedit quominus actus peccaminosi ortum dent consuetudini.

2. Ut inducatur ***a majore parte communitatis.***

Ita Codex: "*Communitas quæ legis ecclesiasticæ saltem recipiendæ capax est, potest consuetudinem inducere, quæ vim legis obtineat.*" C. 26. Talis communitas *capax* est etiam provincia, diœcesis, parœcia, ordo religiosus, confraternitas. Imo, sola *familia* excluditur, juxta Suarezium, *De Leg.*, L. I, c. 6. Cf. *I. E. R.*, Jan. 27, 1918, p. 28. Negat Vermeersch de parœcia. *Epit.* n. 87. "*Consuetudo . . . quæ . . . a communitate . . . servata sit, legem inducit.*" C. 28.

Et Bouvier: "*It must also have been peaceably acquiesced in and not subject to dispute; for, as customs owe their origin to common consent, their being disputed shows that such consent was wanting.*" *l. c.*

3. Ut insit communitati ***cognitio et intentio se ligandi*** his actibus, quando agitur de consuetudine *præter* legem.

"*Quæ scienter a communitate cum animo se obligandi servata sit.*" C. 28.

4. Ut sit ***diuturna et continua.***

Pro consuetudine præter vel contra legem ecclesiasticam, requiruntur "*quadraginta anni completi et continui;*" et si sit contra legem quæ continet clausulam prohibentem, requiritur *centenaria* vel *immemorabilis.* C. 27, 28.

"In order to establish a custom it will be necessary to show its existence for so long a time that the *memory of man runneth not to the contrary*, and that the usage has continued without any interruption of the right. . . . But a jury may find an immemorial custom upon proof of a period of *twenty years or so.*" *Blackstone*, Bouvier.

Interrumpitur si legislator reclamat.

5. Ut habeatur ***consensus, saltem legalis, principis.***

Consensus principis est aut personalis (expressus vel tacitus) aut legalis, seu concessus ab ipso jure et inde æquivalenter a principe etsi nihil cognoscat de re.

In jure Canonico "consuetudo vim legis habet *unice a consensu competentis Superioris Ecclesiastici.*" C. 27. Communiter tenent doctores consensum legalem sufficere. Imo diuturnitas requiri videtur tunc solum quum deest personalis consensus; nam tacitus vel expressus consensus sufficit ad liberan-

dum. Aliter dicendum si quæratur de nova obligatione imponenda.

Apud leges civiles hodiernas vix conceditur a jure facultas efformandi consuetudinem contra legem, nisi intra arctos limites. "*A local custom cannot prevail against an express act of parliament;*" "*A local custom cannot supersede or modify a statute.*" Bouvier.

Revocari potest consuetudo a lege vel ab alia consuetudine.

In genere hæc sunt notanda: (a) Nova lex vel consuetudo opposita ordinarie non tangit consuetudinem immemorabilem, nisi eam expresse reprobando. (b) Nova lex generalis vel consuetudo generalis ordinarie non revocat consuetudinem contrariam particularem nisi eam reprobando. (c) In aliis casibus nova lex vel consuetudo oppositam consuetudinem revocat. C. 30.

Disputatur utrum lex *generalis* restringi debeat ad legem *plane universalem* an includat leges istas *relative generales* ut v. g. episcopales. Affirmant communius esse solum *universales*, quamvis Suarez oppositam opinionem defendat. (*De Leg., l. c.*, c. 20; *I. E. R., l. c.*, p. 37).

In specie, Codex Juris Canonici quandoque expresse reprobat consuetudines. Tunc cessant, sive sint immemorabiles vel non, particulares vel universales. Potius declaratur non esse rationabilis. Quandoque habentur canones oppositi consuetudinibus in præsens vigentibus, quæ quidem consuetudines non sunt immemorabiles. Ipso facto hæ consuetudines etiam abolentur. Tandem inveniuntur aliæ consuetudines contrariæ præscriptionibus canonum, quæ tamen sunt immemoriales. Toleratio harum relinquitur prudentiæ Ordinariorum. C. 5.

DE PECCATIS

Thesis VIII

Peccatum quod recte ab Augustino dicitur "dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei æternam", formaliter constituitur privatione; quæ quidem privatio est, in peccato mortali, aversio a Deo fine ultimo.

pars 1a—peccatum est "dictum," etc.

Etymologice: Peccare—to miss: "peccare est tamquam transilire lineas." Cic. *Parad.* 3, 1; to commit a fault; to transgress; ἁμαρτάνειν, to miss the mark—to be without share; ἀμειρεῖν—μέρος.

Significatio Realis: 1. Id quo aliquid amittit finem naturæ; v. g. in artibus et scientiis; defectus physicus.

2. Id quo intellectualis natura amittit suum finem, vel vagatur extra semitam quæ ducit ad finem; defectus moralis.

Per figuram rhetoricam adhibetur:

a) pro pœnis peccati; Lev. XX, 20, II Mach. XII, 46.

b) pro effectu peccati; Rom. VI-VII.

"Peccatum proprie nominat *actum inordinatum*, sicut actus virtutis est actus ordinatus et debitus." I, I, q. 71, a. 1.

"Peccatum nihil aliud est quam *actus humanus malus*. Quod autem aliquis actus sit *humanus*, habet ex hoc quod est voluntarius. Habet actus humanus quod sit *malus* ex eo quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam; a qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex, una propinqua et homogenea, scilicet ipsa ratio humana; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei." *l. c.*, a. 6.

Actus humanus moraliter malus est revera essentialis definitio *peccati*, continens genus (actus humanus) et differentiam (moraliter malus). Attamen, quum *imperfectiones* habeant aliquam malitiam moralem, melius forsan est dicere magis explicite qualis sit malitia peccati, i. e. *contra legem;* et quum dubitari possit de actu humano an sit solius voluntatis, melius est

comprehendere in definitione *actiones externas.* Inde habetur definitio S. Augustini (*Contra Faust.* L. 22, c. 27), approbata a S. Thoma (I, I, q. 71, a. 6), scilicet:

Dictum, factum, concupitum contra legem Dei æternam.

Ut distinctius adhuc et brevius indicetur malitia peccati et ut simul extensio "legis æternæ" in casu declaretur, Suarez proponit sequentem: ***Transgressio libera divinæ legis.*** (*De Pecc.*, D. 1, s. 1).

Dictum, factum, concupitum: includuntur peccata tum *interna* (sine actu exteriore) tum *externa;* includuntur etiam peccata *omissionis*, nam per *omissionem* aut volumus comprehendere *causam* ipsius, quæ est semper actus positivus, aut ipsam *negationem* quæ reducitur ad genus affirmationis. (Cf. Billot, p. 38); includuntur tum *mortalia*, tum *venialia*, si illud "*contra*" de illis *simpliciter* dictum, de his *secundum quid* intelligatur.

Contra legem Dei æternam; quatenus omnes leges derivant suam firmitatem ab hoc; quatenus etiam quodvis peccatum *aliquomodo* saltem declinat a præscripto modo attingendi ultimum finem. Si igitur quæstio sit de *mortali*, totaliter adversatur legi divinæ ita ut incompossibile sit cum assecutione finis; si de *veniali*, saltem *non juxta legem totam divinam* quis agit, illud patrando.

Div. 1a—Quum illud quo sit peccatum est vel habitus vel actus, datur prima divisio in Actuale et Habituale.

a) *Actuale:* actus moralis malus, i. e. difformis ab ultimo fine, i. e. motus deliberatus quo deflectit a rectitudine seu a recta ratione, seu a regulis morum, i. e. a lege Dei æterna et dictamine conscientiæ.

b) *Habituale:* id quod remanet in anima ex peccato actuali—status deflectionis—reatus culpæ est ejus essentia et reatus pœnæ est consequens; v. g. privatio gratiæ sanctificantis inducta peccato actuali.

α) *Personale.*

β) *Originale.*

Nos de actuali solo agimus.

Div. 2a—Ex natura istius deflectionis seu deviationis, in *Mortale* et *Veniale*.

Div. 3a—Peccata *commissionis* / *omissionis* { *Cogitationis.* / *Verbi.* / *Operis.*

Nota: ***Certa et communis.***

Prob. I. Bona definitio est brevis, clarior definito, per genus et differentiam specificam, competens omni et soli rei definitæ.

Atqui talis est allata. *Ergo.*

Prob. Min. Evidens est de 1^0, 2^0, 3^0. Ad ultimum:

(*Omni*) Omnis prævaricatio est transgressio legis divinæ. *Atqui* omne peccatum est prævaricatio. *Ergo* omne peccatum est transgressio legis divinæ, seu *actus humanus malus* seu *dictum, factum, concupitum contra legem Dei æternam.*

Ad Maj. "Ubi non est lex, nec prævaricatio." Rom. IV, 15; et in capite VII.

Ad Min. "Prævaricantes reputavi omnes peccatores." Ps. CXVIII, 119.

(*Soli*) Omnis prævaricatio est peccatum.

Atqui omnis transgressio legis divinæ est prævaricatio.

Ergo omnis transgressio legis divinæ est peccatum.

II. (Ex PP.) *Ambrosius*, (*De Paradiso, c. 8*): "Quid est peccatum nisi prævaricatio legis divinæ et cœlestium inobedientia præceptorum?"

August., (*Conc. 25 in Ps. 118*): "Si prævaricantes sunt omnes peccatores terræ, nullum est utique sine prævaricatione peccatum; nulla autem prævaricatio sine lege.

III. (Ratione) In eo actu humano habetur malitia moralis seu peccatum in quo est discordia a prima regula in ordine ad finem.

Atqui lex æterna est prima regula in ordine ad finem.

Ergo ibi est peccatum ubi est discordia a lege æterna.

Difficultates

1. Sunt peccata contra alias leges, v. g. humanas. *Ergo.*

℟. Et hi actus sunt *indirecte* et mediate contra legem æternam.

2. "Quædam sunt mala quia prohibita; *quædam vero prohibita quia mala sunt.*" *Ergo* est aliqua malitia in operibus quæ præcedit prohibitionem et non identificatur cum transgressione legis.

℟. *Dist. Anteced.* Quædam sunt mala quia prohibita, *C.* quædam sunt prohibita a lege *positiva* quia mala sunt, *subd.* antecedenter ad illam legem positivam, *C.* antecedenter ad omnem legem, *N.*

Urgetur. Atqui quædam sunt mala antecedenter ad legem etiam naturalem, nam ista lex supponit objecti malitiam utpote necessario prohibendam.

℟. In quocumque signo inspiciatur ista malitia invenitur formalis oppositio ad legem Dei æternam statuentem rectum ordinem moralem in signo priore.

3. Hæc definitio non includit peccata omissionis. *Ergo* non est recta.

℟. *N. Anteced.* Peccatum omissionis reducitur ad actum seu est moraliter æquivalens actui. (S. Thom. I, II, q. 71, a. 5; a. 6 ad 1. Cf. Billot. p. 38; de controversia cf. Tepe, p. 18.)

4. Non includit venialia quia venialia non sunt *contra. Ergo* manca est.

℟. *N. Anteced.* Ad rationem additam, *Dist.* Venialia non sunt contra in sensu quod destruunt ordinationem, *C.* in sensu quod discedunt ab ista linea, *N.*

Aliis verbis sunt saltem *secundum quid* contra legem æternam.

Cf. Pesch, IX, p. 216, n. 456 sq.

Scholion

A very popular doctrine of today is that of *Independent Morality.* The meaning attached to this term by its advocates is that a perfect precision may be made in this matter of *morality* from all *Religious* ideas. Their contention is that *Right Reason* is an excellent guide in pointing out what is right and wrong, even though it be powerless to prove even the existence of God.

1. Atheists and Materialistic Evolutionists, who deny the existence of God, deride the very notion of sin as an offense against Divine Law and yet proclaim a certain kind of expedient and changeable morality.

II. Kantians, Rationalists and Agnostics admit moral obligation and its importance in human life (some of them holding an *unchangeableness* in its principles) but refuse to admit as its only rational grounding, God's Law.

III. Certain Catholic Theologians, admitting the *objective* connection between a *violation of reason's natural dictates* and an *offense of God*, held that, owing to complete ignorance of God, or to actual inadvertence to His Law, a conscious violation of right reason might occur without a real offense of God. They supported this position by saying that no *offense of God* could be imputed without some actual advertence to *that fact.*

This teaching is proscribed as *erronea* in the condemnation by Alexander VIII of the following proposition: "Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi, theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui vel Deum ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum."

To prove that such a doctrine is false, we have only to appeal to those passages in Holy Scripture in which *all evil works* without distinction are reprobated by God. (Cf. Rom. II, 5–11, Joan. V, 28 and 29).

Really this censure at most touches those who would hold that *de facto* such *merely philosophical sins* are committed. (Cf. Viva, Wirceb, p. 14; Billot, p. 25).

IV. Some Theologians (*v. g.* De Lugo, *De Incarn.*, Disp. V, sect. 5), defend the *possibility* of *purely philosophical sin*, though they admit that in the present order there is no such thing, since invincible ignorance of God and utter inadvertence to His Law in the act of sinning are impossible.

The common opinion of theologians rejects even this theory. A man cannot possibly act against conscience (and thus commit *any* sin) without at least a confused knowledge of the law of God as the principle of moral obligation. *Prohibition* involves *one prohibiting; moral prohibition* involves *one above men prohibiting*. "Quamvis cognitio explicite attingens peccatum ut dissonum naturæ rationali, non eatenus attingat explicite illud ut transgressivum divinæ legis, nihilominus repugnat quod peccatum

sub illo priori conceptu attingatur, quin simul attingatur implicite sub hoc secundo, quantum satis est ad contemptum, divinæ legis atque adeo ad offensum Dei; ergo metaphysice repugnat peccatum morale pure philosophicum. Antecedens probatur, quia præcise per hoc, quod peccatum attingitur explicite ut disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi, attingitur implicite ut illicitum, atque adeo ut prohibitum et nullatenus patrandum; ergo etiam attingitur implicite ut oppositum divinæ voluntati prohibenti, atque adeo ut contemptivum divinæ prohibitionis. Probatur hæc consequentia, quia quoties peccatum apparet ut prohibitum, ita ut nullatenus liceat, apparet prohibitum ab ea voluntate quæ unice potest illud prohibere; atqui sola Dei lex et voluntas potest peccatum prohibere, ita ut nullatenus liceat, quibuscumque creaturis illud suadentibus aut præcipientibus; ergo quoties peccatum apparet ut omnino prohibitum, apparet etiam oppositum divinæ voluntati illud prohibenti, atque adeo contemptivum divinæ legis." Viva, *de Prop. Condem. ab Alex. VIII, 24 Aug. 1690, n. 3.*

Obiectiones: Wirc., p. 8 et seq.; Billot, p. 27.

pars 2a—formaliter est privatio

Formaliter: præsupponendo entitatem physicam actus peccaminosi, considerare possumus peccatum in esse morum; et tunc aut *concrete sumptum*, i. e. *ipsam substantiam moralem* actus respicere possumus, aut illud elemuntum involutum in substantia quod formalissime eam malam reddit. Talis *quasi-forma* est *privatio debiti ordinis in finem ultimum.* Quum enim homo ipse ordinet suos actus liberos, fieri potest ut aliter ac juxta regulam primam ordinet.

Privatio: Malum Morale *non est privatio pura. In actu moraliter malo distinguere debemus hæc tria: 1⁰ ipsam physicam entitatem actus, 2⁰ rationem boni moralis quæsitam in omni actu libero, 3⁰ carentiam ordinationis debitæ ad ultimum finem.* (Cf. Billot, *De Pecc.*, pp. 14–15).

(a) *Ipsa substantia actus* (non physice sed in genere morum sumenda, i. e. ut actus liber), et (b) *defectus debitæ rectitudinis* sunt duo elementa quæ constituunt *peccatum ut peccatum.*

Ut iste defectus seu *deviatio a rectitudine,* explicetur, notanda sunt hæc:

a) Ordo rectus moralis consistit in ea positione actuum

humanorum qua homo recta via ducitur ad objectum in quo ultimus hominis finis vere reponitur.

b) Talis conformatio *Regulæ præscriptæ* subaudit (1) *Regulam distinctam*—"nullus actus a rectitudine declinare contingit, cujus regula est ipsa virtus agentis. Si enim manus artificis esset ipsa regula incisionis, nequaquam posset artifex nisi recte incidere; sed si rectitudo incisionis sit ab alia regula, contingit incisionem esse rectam et non rectam". S. Thom. I, quæst. 63, a. 1; (2) *Regulam a superiore impositam*—secus necessitas subjectionis concipi nequit; (3) *Regulam Divinam*—quatenus ultimatim nonnisi ab eo qui condidit naturam et præscripsit finem vitæ humanæ—"Divina voluntas sola est regula sui actus, quia non ad superiorem finem ordinatur; omnis autem voluntas cujuslibet creaturæ rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundum quod regulatur a voluntate divina ad quam pertinet ultimus finis." (*De Malo*, quæst. I, a. 1, in corp.); (4) *Regulam applicatam et conjunctam nobis per cognitionem*, seu in conscientia relucentem.

c) *Privatio rectitudinis*, igitur, est "*carentia commensurationis ad regulam legis æternæ per conscientiæ dictamen voluntati adhibitam.*" (Billot, p. 23).

Duplex est diversa deficientia a regula. In *prima* tollitur omnino directio actus ad ultimum finem. Hæc deficientia invenitur in omnibus istis actibus quæ *repugnant directioni Dei super omnia*, sive *immediate* sive *mediate*. Principium totius ordinis est primum illud mandatum "*Diliges Dominum Deum tuum*" et simile est illud "*proximum tuum sicut teipsum*," quatenus sine hoc, primum servari nequit. *Aversio a Deo, fine ultimo* est igitur prima et maxima privatio.

Alia autem habetur deficientia, quæ relinquit intactam ipsam *essentiam* ordinis, sed involvit aliqualem deordinationem, eo quod est quædam inceptio seu tendentia erga illam magnam perturbationem ordinis. Non tamen est recessus ab ultimo fine, Deo, sed est aliquid positum *præter* ordinem ultimi finis, et non *simpliciter contra* illum.

Nota: ***Certa et communis.***

Prob.: I. Ex 1a parte, constat peccatum præcise consistere in hoc quod actus humanus peccaminosus caret debita sua ordinatione ad finem hominis.

Atqui carentia debitæ perfectionis est privatio. *Ergo* peccatum est formaliter privatio.

II. Si non est formaliter privatio est aut formaliter aliquid *positivum* aut *pura negatio*. *Atqui* neutrum admittendum est. *Ergo.*

Nequit esse positivum—quia aut Deus esset causa peccati formaliter sumpti aut aliquid positivum morale existeret cujus Deus non est auctor. Utrumque repugnat. Ergo nequit esse quid positivum.

Nequit esse pura negatio—tunc enim substantialiter peccatum esse non-ens in ordine morali quod est etiam absurdum.

Difficultates

1. Privatio est nihil. *Atqui* peccatum non est nihil. *Ergo* peccatum non est privatio.

℟. Privatio pura est nihil, *Tr.* non pura, *N.* "Peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus." II, II, q. 118, a. 5.

2. Quidquid est positivum in peccato, est bonum et creabile a Deo. *Ergo* peccatum, totum quantum est peccatum, est negativum quid.

℟. *N. Supp.*, i. e. quod in peccato actuali duo illa—bonum morale et malum morale realiter separabilia sunt. Cf. Billot, p. 17.

3. Odium Dei est intrinsece malum. *Ergo* totum quantum est nihil, quod est adsurdum.

℟. *N. Conseq.* Etiam ea quæ sunt intrinsece mala admittunt 1^0 positivam entitatem physicam actus, et 2^0 positivum quid admixtum in ipsa substantia entitatis moralis.

4. Actus qui admittit ullum positivum esse morale habet aliquam honestatem. *Atqui* odium Dei nullam habet honestatem. *Ergo.*

℟. *Dist Maj.* . . . ullum positivum esse morale genericum . . . honestatem specificam, *N.*

pars 3a–quæ quidem privatio est,
in peccato mortali, aversio a Deo, fine ultimo.

Mortale: ut ipsa vox innuit, est peccatum quod affert mortem animæ, i. e. quo incurritur reatus *mortis æternæ*. Quærimus in thesi ultimam causam et radicem hujus effectus. Respondetur esse *mortem animæ in præsenti vita*, seu esse privationem gratiæ sanctificantis, quæ est vita animæ. Ulterius tamen quæritur quænam sit causa privationis gratiæ sanctificantis, nam talis

privatio est effectus actionis peccaminosæ. Respondetur esse *gravitatem offensæ ex eo quod lex graviter obligans fuerit violata.* Hinc mortale dicitur etiam peccatum *grave.* Tandem quæritur in quonam præcise consistat talis *gravitas* tum legis tum offensæ. Respondetur hanc deordinationem peculiarem esse in *aversione a Deo,* prout jam explicabimus.

Aversio a Deo: In omni peccato est *conversio aliqua inordinata ad creaturas.* Sed duplex est diversa conversio inordinata prout uno vel altero modo Deus prohibet conversionem ad creaturam. Si ita prohibet ut nolit transgredeuntem manere in amicitia divina, dicitur *graviter prohibere,* i. e. sub pœna denegatæ unionis et consortii cum Deo. Proinde libere violans talem legem, omnino separat se a Deo *eligendo creaturam præ voluntate et amicitia divina.* Uti patet, ita agendo ponit actum contemptus Dei, saltem interpretativi, et *avertit* se a Deo ut a fine suo ultimo.

Nota: ***Certa et communis;*** aliqui distinguendo mortale a veniali non tam complete et distincte evolvunt rationem formalem deordinationis gravis. Ita Scotus ponit malitiam gravem in hoc quod sit contra *legem,* veniale contra *consilium;* juxta S. Bonaventuram, mortale est *contra* legem, veniale *præter* legem; juxta alios mortale est *offensa Dei,* non vero veniale; Cajetanus ait mortale esse *contra Deum ut finem;* veniale contra media.

Prob. I. (Ex SS.) Indesinenter in utroque testamento peccatum grave ponitur ut actio qua homo derelinquit Deum et præeligit creatum donum ut finem et fontem beatitudinis; v. g. ut idololatria, fornicatio, adulterium repræsentatur.

Jerem. II, 13: "Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas."

Matt. X, 37: "Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus."

II. (Ex PP.) S. Aug. *De Lib. Arbit.,* l. 2, c. 19, n. 53. (Cf. Casajoana, p. 430).

III. (Auct. S. Thom.) Ex his duobus, *conversio ad creaturam* est præsuppositum essentiale, quasi-materiale, sed vera malitia est in *aversione a Deo.* "In quolibet peccato mortali principalis ratio mali et gravitas est ex hoc quod avertit se a Deo; si enim posset esse conversio ad bonum commutabile sine

aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale." II, II, q. 20, a. 3.

Difficultates

1. Plura sunt peccata ex ignorantia. *Atqui* talia patrantes non præferunt creaturam Deo. *Ergo* non in omni mortali.

℟. *Dist. Min.* Æquivalenter et revera, *N.* et ficta deceptione, *C.*

2. Qui peccant ex voluptate sæpe non dimitterent Deum. *Ergo* non præferunt rem creatam.

℟. *Dist. Conseq.* Sec'd quamdam dispositionem habitualem inefficacem, *C.* actu, *N.* Cfr. Suarez, *De Pecc.*, D. 2, s. 1, n. 6.

Scholion De Infinitate Peccati

"Vera et communis sententia docet, peccatum non esse simpliciter infinitum, sed solum secundum quid, quatenus est majus omni alio malo et alia offensa." De Lugo, *De Incarn.*, Disp. V, sec. 3, n. 25.

Ad quod assertum intelligendum, notandum est

1°, "*simpliciter*" significare "*sine addito*", "*sine restrictione*";

2°, *peccatum*" includere tum *malitiam*, tum *offensam*, tum *demeritum;*

3°, fere omnes concedere neque *malitiam* neque *demeritum* esse infinitum;

4°, aliquos Thomistas tenere *offensam* seu *injuriam* esse infinitam;

5°, omnes concedere *offensam* esse infinitam ratione *personæ* offensæ;

6°, probabiliorem esse sententiam affirmantem *ipsam offensam simpliciter* non esse infinitam; nam *offensa* mensurari debet non tantum ex dignitate *personæ offensæ* sed etiam ex vilitate, cognitione, etc. *offendentis; atqui* peccator posset esse vilior, et posset perfectiorem cognitionem habere. *Ergo* ejus peccatum non est simpliciter infinitum.

Cf. Tepe, p. 49 et sq.

Thesis IX

Dantur peccata venialia, etiam ex natura sua talia, quæ, etsi aliquo vero sensu actiones moraliter malæ et offensæ Dei dici debeant, non tamen tollunt principium habituale conversionis hominis ad Deum.

Veniale: *vi vocis*, tale ut in se non sit dignum pœna æterna, seu irremissione; *reipsa*, est peccatum "quod habet inordinationem, conservato ordine ad ultimum finem et reparabile est." S. Th. *De Malo*, q. 88, aa. 1-2.

Recte igitur definitur: *Actus humanus moraliter malus quo non tollitur habitualis conversio ad finem ultimum*, vel *Transgressio legis divinæ qua quis contemnit medium præceptum quidem sed non necessarium ad consequendum ultimum finem.*

Ex natura sua: dicuntur *venialia* scilicet non quia venia pro iis obtineri potest (secus omnia mortalia essent venialia), neque quia sunt peccata *justorum* (nam peccator potest committere veniale et justus mortale) sed quia *in se* talia non sunt ut destruant caritatem et mereantur pœnam æternam. Post veniale commissum continuari potest vita activa caritatis sine recursu ad extrinsecum medium a Deo provisum ad reparandum damnum. In casu peccati mortalis damnum est *in se* irreparabile, non ita in peccato veniali. "*Secundum hoc ergo mortale et veniale opponuntur sicut reparabile et irreparabile, et hoc dico per principium interius, non autem per comparationem ad virtutem divinam.*" I, II, q. 88, a. 1.

Deordinatio in veniali multum differt a deordinatione peccati mortalis. In hoc enim est oppositio directe contraria fini primario legis æternæ eo quod graviter peccans deliberate (saltem implicite) constituit finem ultimum in creatura; at venialiter peccans adhuc habitualiter refert se ad Deum ut finem ultimum. "*Ille qui peccat venialiter inhæret bono temporali non ut fruens quia non constituit in eo finem, sed ut utens, referens in Deum non actu sed habitu.*" I, II, q. 88,. a. 1, ad 3. Finis primarius legis æternæ est unio cum Deo. Quædam actiones malæ non sunt (ob naturam suam aut ob imperfectionem actus) incompatibiles cum possessione Dei, et tamen positive re-

tardant hominem in progressu ad Deum, eo quod Ipsi displicent, minuunt fervorem caritatis et disponunt ad mortale. In hoc præcise invenitur deordinatio venialium—*retardant hominem in assecutione finis ultimi.*

Adversarii:

Jovinianus—Omnia peccata æqualia habuit.

Pelagius—Qui docuit justitiam amitti quovis peccato. E contra Trid. docet peccata venialia cum justitia componi posse.

Wyclif, Calvin, etc.—Tenuerunt omnia peccata reprobatorum esse mortalia, omnia justorum esse venialia ex lege Dei qua non imputantur.

Lutherus—Habuit omnia peccata infidelium mortalia, omnia fidelium (excepta infidelitate) venialia. Hus similiter (Denz. 642).

Baius—"Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne meretur pœnam æternam." (Prop. condemn. 20; Denz. 1020).

Hirscher—Omnia plene deliberata esse mortalia tenuit. (Cf. Pesch IX, n. 517).

De recentioribus cf. Schaff-Herzog, vol. x.

Nota: ***De fide*** *est esse peccata venialia,* i. e. quibus non amittitur justitia supernaturalis. *Trid. Sess. VI, c. 11, can. 23 et 25: Sess. XIV, De Pœnit., c. 5.* Denz. 804 (686), 833, 835 (717), 899 (779).

Certa et communis sententia est ea *esse natura sua talia* sensu explicato. *Prop. XX damnat. Bai.* Denz. 1020 (900).

Prob.:

I. "Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Unusquisque autem videat, quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod

superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, quasi per ignem." I Cor. III, 10–15.

Ex interpretatione TT., *ligna, fœnum, stipula* sunt ex se peccata quæ merentur pœnam non æternam, sed ignem temporalem purificantem.

Cf. Billot, Pesch, et alios interpretes, sed præsertim S. Thomam.

"Superaedificatio potest intellegi et quantum ad opera, quæ unusquisque superaedificat fidei fundamento, et quantum ad doctrinam, quam aliquis doctor vel prædicator superaedificat in fundamento fidei ab apostolis fundatæ. Unde ista diversitas, quam hic apostolus tangit, ad utramque superaedificationem referri potest. Quidam ergo referentes hæc ad superaedificationem operum, dixerunt quod . . . per lignum, fœnum et stipulam debent intellegi peccata mortalia, quæ quis facit post fidem susceptam. Sed ista expositio penitus stare non potest [quia peccata mortalia non ædificantur super fundamentum fidei, neque, qui mortaliter peccat, salvus erit]. . . . Superaedificare vero lignum, fœnum et stipulam est superaddere fidei fundamento ea, quæ pertinent ad dispositionem humanarum rerum et ad curam carnis et ad exteriorem. [Hæc dispositio fieri potest primo quidem mortaliter peccando, secundo ratione honesta et meritoria.] Tertio modo aliquis, licet in his finem non constituat nec vellet propter ista contra Deum facere, afficitur tamen istis magis quam deberet, ita quod per hæc retardatur ab his, quæ Dei sunt, quod est peccare venialiter, et hoc proprie est superaedificare lignum, fœnum, stipulam. . . . Potest autem et hæc diversitas referri ad superaedificationem doctrinæ. Nam illi, qui fidei ab apostolis fundatæ per suam doctrinam superaedificant solidam veritatem et claram sive manifestam et ad ornamentum ecclesiæ pertinentem, superaedificant aurum, argentum, lapides pretiosos. . . . Qui vero falsitatem doceret, non superaedificaret, sed magis subverteret fundamentum. Dicit ergo: Si quis superaedificat . . . lignum, fœnum, stipulam, i. e. corporalia opera vel frivolam doctrinam, uniuscujusque opus manifestum erit, scilicet in divino iudicio, quale sit. Nunc enim latet per humanam ignorantiam. Nam quidam videntur superaedificare aurum, argentum, lapidem pretiosum, qui tamen superaedificant lignum, fœnum, stipulam, in rebus

spiritualibus corporalia meditantes, puta lucrum vel favorem humanum". (In 1 Cor. c. 3, lect. 2 ad v. 12).

II. *Ex Trid. l, c., Milevet. can. 7.* Prop. Baii 20 damnata.

III. Communis doctrina PP. (Cf. Pesch, p. 247).

Difficultates

1. Datur contemptus Dei in omni transgressione legis divinæ. *A. E.*

℟. *Dist. Maj.* Legis graviter obligantis seu ex qua in voluntate divina pendet conjunctio cum fine, *C.* in alia lege, *N.*

Actu non præfert creaturam Deo. Ergo nulla est aversio, nullus contemptus.

2. *Atqui* omnis lex naturalis saltem est graviter obligans, quatenus malitia actus oppositi antecedit voluntati Divinæ.

℟. *Nego.* Nam etiam talia ex se leviter tantum possunt turbare hominem in assecutione finis, et non tollere.

Aliqui tenebant ex sola voluntate Dei esse venialia, sed falso. Ex ipso objecto quædam sunt levia, quamvis positiva lege Deus possit ea graviter prohibere. Essentia ordinis moralis in eo est ut omnia referantur ad Deum tamquam ad ultimum finem. Quæ adversantur Deo (termino) ut peccata contra fidem, spem, caritatem, religionem, ex objecto sunt gravia; item quæ essentialiter impediunt hominem individuum in assequendo fine, ut suicidium, ebritas; tandem ea quæ ordinem socialem graviter perturbant. Sed, uti constat, alia sunt quæ non continent gravem deordinationem.

3. Non essentialiter differunt mortale et veniale, si plura venialia efficiunt mortale. *Atqui* ita est ex Augustino.

"Quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt, necant," etc. *E.*

℟. Si *dispositive* efficiunt, *N.* si *formaliter, C.*

4. Veniale contradicit caritati, nam ex caritate tenemur omnia in gloriam Dei facere.

℟. Satis implet præceptum quatenus est affirmativum si omnia *habitu* ordinet.

Scholion I. Peccatum Veniale Habituale

(1) *Non est habitus aliquis acquisitus.*

(a) potest esse *habitus vitiosus* seu *inclinatio vehemens* sed non est *peccatum;* nam remanet sæpe post retractatum et deletum peccatum.

(b) *mortale* est *habitualis aversio a Deo—privatio gratiæ sanctificantis.*

(2) *Nulla permanens macula.* I, II, q. 89, a. 1. Cf. Pesch, n. 551.

(3) *Est moralis permanentia;* quia voluntas ita disponitur ut "censeatur aliquomodo indignus divina familiaritate et singularissimis auxiliis." Suarez, *De Pecc.,* Disp. 8, n. 18.

Indignitas hæc moraliter permanens vocatur quandoque a PP. "scabies," etc.

Præterea manet reatus pœnæ damni et sensus. Aliqua infinitas quia privatur *Deo* sed ad tempus. *"Non intrabit in eam aliquod coinquinatum."* Apoc. XXI, 27.

De remissione venialis. Cf. S. Thom., Pesch, n. 554.

Scholion II. De Imperfectionibus

1. *Perfectum* est cui nihil conveniens deest; *imperfectum* est cui aliquod deest. (*Imperfectum* habetur *physicum* si deest aliquid physicum conveniens, *morale* si deest aliquid rectæ habitudinis ad ultimum finem.)

"Secundum caritatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ." II, II, q. 184, a. 1.

Ergo, perfectum est quidquid confert ad augendam caritatem et unionem cum Deo; *imperfectum* est quidquid opponitur huic, v. g. peccatum.

Imperfectio technice est quidquid actu facit ut deficiat ab eo gradu fervoris et caritatis qui conveniens est.

Mere negativa est actus honestus — meritorius — sed minus perfectus sive ob rationem minus bonam positus, sive quia deliberate eligitur minus perfectum sed honestum, v. g. commodum corporis potiusquam auditio Missæ. Cf. Pesch III, n. 675.

2. ***Defectus culpabilis*** seu ***Imperfectio positiva*** est actus humanus qui opponitur *divino consilio* seu *divinæ voluntati.*

In hoc casu neque (1) interponitur divina auctoritas, neque (2) omnino relinquitur res optioni agentis, ita ut si fiat, sit juxta voluntatem meræ approbationis, sed (3) consistit ex parte Dei in *simplici voluntate præferentiæ.*

Probatur existentia huiusmodi defectuum.

(1) Ex SS. v. g. Prov. III, 21, XII, 15, quatenus datur talis *moralis malitia* opposita conformitati affectus cum divina voluntate.

(2) Ecclesia facit distinctionem inter pravos actus peccaminosos et alios pravos actus. "Pro . . . *peccatis et offensionibus.*"

(3) S. Thom. "Voluntas Dei *præcipue innotescit per præceptum divinum.*" II, II, q. 104, a. 4, ad 3. Cf. I. q. 48, a. 5, et a. 6. Ferrusola *Comment.* p. 69 et sq.

DISTINCTIO PECCATORUM

In dividendis peccatis considerare debemus (1) *genera theologica,* juxta quæ ratione *gravitatis diversificantur,* (2) *species morales,* secundum diversitatem specificam *objectorum, virtutum oppositarum* et *legum violatarum,* et (3) *numerum individualium peccatorum.*

I. Genera Theologica

Mortale quod solvit amicitiam divinam, violat legem graviter obligantem, meretur pœnam æternam.

a) *Ex toto genere suo;* quod, spectata materia, est semper mortale; v. g. *luxuria, blasphemia.*

b) *Ex genere suo;* quod fieri potest veniale, ratione parvitatis materiæ; v. g. *injustitia.*

Veniale quod displicet Deo, violat legem, sed non involvit ullum ex tribus prædictis.

a) Ratione defectus pleni consensus, plenæ advertentiæ, vel erroris in qualibet materia; v. g. luxuria.

b) Ratione parvitatis materiæ in materia quæ eam admittit; v. g. injustitia.

c) Ex genere suo; v. g. mendacium.

Quod dantur *mortalia* patet (1) ex SS. *non possidebunt regnum Dei;* (2) ex definitione Tridentina, Sess. VI, c. 27.

Quod dantur *venialia,* contra Lutherum et Calvinum, patet (1) ex SS., "*Septies cadet justus,*" Prov. XXIV, 16, "*In multis offendimus omnes,*" Jac. III, 2, (2) Trid. Sess. VI, C. 11, (3) ex condemnata propositione Baii, "nullum est peccatum natura sua veniale," et (4) ex ratione, ducta paritate ex eo quod fit inter amicos sine dissolutione amicitiæ.

Nullum peccatum mortale committitur sine perfecta advertentia, pleno consensu et materia gravi.

Advertentia perfecta involvit hæc: (1) ut percipiat agens *id quod agit* seu *actum,* (2) ut cognoscat se graviter *male agere,* seu malitiam actus. (Non requiritur ut explicite cognoscat se *Deum* offendere.)

Consensus plenus importat *positivum actum voluntatis rationalis. "Peccatum mortale non potest esse in sensualitate sed solum in ratione."* I, II, q. 74, a. 4. Hinc, surgente motu concupiscentiæ, qui diceret "*nolo expellere,*" non peccaret graviter, dummodo non adesset *proximum* periculum consensus. Committeret veniale peccatum negligentiæ ob otiositatem vel periculum remotum, sed si haberetur *justa causa* ita agendi (non resistendi) *nullum* esset peccatum. Ipsa diuturnitas tentationis potest esse causa sufficiens omittendi positivam resistentiam. Hæc (*positiva*) est vel *directa,* quæ consistit in *repulsione* motuum, vel *indirecta* quæ habetur *divertendo* attentionem ad alias res aut *contemnendo,* si motus sunt leves.

Tepiditas in repellenda, quæcumque sit gravitas materiæ, non sufficit ad grave peccatum. Mora, hæsitatio, dilatio, mera omissio positivi actus, non sufficiunt ad *plenum consensum. Ratio Superior* est supremus judex cujus solius sententia claudit casum. Quidquid dicant inferiores, nondum habetur finalis sententia donec ipse definiat, i. e. annuat, consentiat.

Si voluntas *firmiter,* i. e. positive repellit, etsi negligenter et tepide—est peccatum veniale ordinarie.

Si deliberate anceps est an consentiat, peccat mortaliter.

Difficultas est in hoc—quomodo potest consensu pleno peccare quando deliberatio nondum est finita? Respondetur in quæstione esse duas diversas deliberationes. Deliberate et pleno consensu jam antea rejecit regulam veram moralitatis tamquam normam dirigentem *secundam hanc deliberationem.*

N. B. Peccatum illud non est tam inusitatum. Est ejusdem speciei ac peccatum de quo deliberatio, quia rejectio supremæ regulæ est in ordine ad illud. Certe potest quis præscindere a regula suprema et *incipere* ex aliis rationibus et tunc non mortaliter peccat. Peccatum est in rejectione.

Exemplum esset alicujus qui deliberaret de fornicatione, dicendo committam si vitari potest periculum morbi, infamiæ, etc. Talis deliberatio est mortaliter peccaminosa.

Numquid semi-ebrius potest peccare mortaliter?

Resp. Juxta quosdam nequit, quia non habet perfectum sed solum dimidiatum usum rationis.

Juxta alios, potest, quia cognitio requisita et sufficiens ad mortale est solum relative perfecta et sæpe *haberi potest* in isto statu.

Revera, determinatio exacta graduum ebrietatis nequit mathematice obtineri. Notum est quosdam gaudere acriore perspicacitate et sufficienti deliberativa potestate in alto statu exhilarationis. Tales aptiores sæpe sunt ad negotia quam alii qui summum usum rationis suæ possident.

Num ex pluribus venialibus exsurgit mortale?

℟. In iis quæ admittunt parvitatem et amplitudinem materiæ per coalescentiam cum intentione, certe; ut in breviario, jejunio, opere servili, furto. Non in aliis, v. g. mendaciis.

Gravitas materiæ eruitur (1) ex SS. quatenus comminationes experimuntur his et similibus verbis: *"Væ," "Moriemini," "Non possidebunt regnum cælorum;"* (2) ex doctrina Ecclesiæ; (3) ex PP., quia sunt testes traditionis; similiter ex Doctoribus qui, etsi non infallibiles, specialiter illuminantur, et ex Theologis qui melius talia cognoscunt ex studiis et melius ratiocinantur de eis; (4) ex ratione, quatenus aut directe contra Deum, aut in grave præjudicium generis humani aut graviter contra finem legis valde seriæ aut gravem injuriam proximo inferens.

II. Specifica Distinctio

(1) ***Ex objecto*** et diversa ratione objecti. Ita injusta ablatio *vitæ, famæ, rei* constituit tria specie diversa peccata *homicidii, detractionis, furti.*

(2) ***Ex virtute violata*** (saltem ut ex principio indirecto), sive diversæ sunt virtutes ut in peccatis *hæresis, fornicationis, furti,* sive ex oppositione contraria eidem virtuti ut in *præsumptione,* et *desperatione,* sive ex diverso modo quo eadem virtus opponitur ut in *perjuria, violatione voti, blasphemia.*

(3) ***Ex lege violata*** (saltem ut ex principio manifestativo), sive *intuitu virtutis* specialis actio *in se indifferens* jubetur v. g. abstinentia ab operibus servilibus, sive intuitu virtutis præcipitur *actus istius virtutis* v. g. jejunium ecclesiasticum sive *ex obedientia* urgetur obligatio. Bucceroni.

III. Numerica Distinctio

Sicut *unus actus physicus* (v. g. desiderium) continere potest *plures diversas malitias* et proinde plura peccata, ita *plures actus* physici peccaminosi uniri possunt moraliter in *unum peccatum* (v. g. occisio hominis lenta). In enumerandis igitur peccatis attendere debemus—1°, ad *unitatem totalem moralem,* inductam tum ab unitate morali ipsius objecti tum ab intentione agentis; 2°, ad *multiplicitatem moralem* quæ exsurgit ex morali interruptione actuum voluntatis (vel per retractationem, vel per voluntariam cessationem, vel per notabilem involuntariam cessationem).

Duplex proinde est criterium quo judicare possumus peccata numerice multiplicari;

1°. Diversitas objectorum totalium moralium,

2°. Multiplicitas actuum moraliter interruptorum.

Utrumque criterium applicari debet in singulis casibus, nam quandoque externa unio actuum indicare potest unum totale objectum, v. g. in occisione, dum fieri simul potest ut effectus iste debeatur duobus distinctis et omnino diversis actibus voluntatis, ut, v. g. si solam vapulationem intenderet in initio et, incœpto opere, accederet intentio homicidii. E contra, non sufficit ut sit una actio interna qua multiplex effectus intendatur ad unitatem peccati servandam; nam ex parte objecti multiplicarentur peccata, v. g. pollutionum, non obstante unica intentione.

Diversitas objectorum totalium habetur: 1°, quando objectum intentum continet plures malitias specifice distinctas, nam diversitas specifica arguit distinctionem numericam;

2°, quando actus individui externi consummati ponuntur; 3°, quando in una eademque morali actione externa habentur effectus qui respondent intentionibus voluntatis moraliter distinctis.

Juxta prædicta, resolvi possunt sequentes casus: (1) Sacerdos graviter peccans morosa delectatione contra castitatem, committit *duo* peccata; (2) idem si fovet desiderium peccandi cum consanguinea uxorata, quattuor committit; (3) meretrix quæ statuit unico actu voluntatis peccare cum pluribus, tot committit quot fornicationes aut alia consummata actu complet; (4) qui resolvit furari equum, et in exsequendo, data opportunitate, furatur currum adjunctum, duo peccata committit.

Interruptio moralis actuum etiam causat numericum incrementum peccatorum quatenus ob eam partes alicujus seriei actuum physicorum jam per se stant, ut entitates morales distinctæ. Difficultas est in judicando quandonam adsit interruptio. Tres enumerantur modi, scilicet:

1. *Retractione* per quam actus præcedens peccaminosus finitur, sive sit internus sive externus.

2. *Libera cessatione* etiam disrumpitur continuitas. Reassumptio erit novum peccatum nisi ex eodem impetu passionis vel ex influxu prioris intentionis vel saltem ex defectu notabilis moræ moraliter tribuenda sit præcedenti actui voluntatis.

3. *Mora notabili* sine retractione aut voluntaria cessatione. Ex natura rei est quoddam discrimen notandum inter actus internos et externos quoad applicationem hujus regulæ.

Facilius interrumpuntur actus *meri interni;* abest enim sæpe fundamentum moralis unitatis quod in serie actuum exteriorum invenitur. Quævis cessatio, v. g. distractio involuntaria de se sufficeret, nisi præcedens actus influat aut nisi mora tam brevis sit ut in æstimatione morali pro nihilo habeatur. Ob difficultatem practicam judicandi numerum interruptionum generatim satisfacit pœnitens præcepto si dicat per quodnam spatium temporis plus minusve continuatim adhæserit, v. g. delectationi morosæ.

Actus *interni cum proposito externum actum ponendi* juxta quosdam remanent moraliter uniti quoadusque non fit retractatio. Juxta alios multiplicantur sine revocatione pri-

oris, nempe quoties fit formalis renovatio propositi, etiam permanente habitualiter præcedenti. Omnes debent admittere quod si novus motus oriatur ex influxu prioris continuitas moralis servetur. Recurrit difficultas in determinando quale intervallum impediat influxum istum virtualem. Nequit assignari regula generalis quæ comprehendet omnes casus. Evidenter pendebit judicium ex intensitate prioris actus et ex aliis adjunctis ætatis, dispositionis, etc.

Actus externi, supposita unitate actus interni, etiam diuturnum admittunt intervallum temporis, quin moraliter interrumpantur. Ita per se committeret unicum peccatum homicidii qui totum annum absumeret in ministrando parvas quantitates veneni ad aliquem lente occidendum.

Quot sunt peccata quando est unus actus voluntatis terminatus ad plura objecta numerice tantum distincta?

Disputatur. Duæ sunt sententiæ oppositæ principales quarum utraque habet multos fautores qui sæpe introducunt modificationes.

Sententia I. *Unum est peccatum.* Ita Suarez, arguendo ex impossibilitate habendi duo accidentia numerice tantum distincta in eodem subjecto sive physico sive morali; Lugo, qui admittendo plures malitias in eodem actu voluntatis, negat exinde deduci duo adesse peccata numerice distincta, et Trid. exigit solum ut *numerus* peccatorum non malitiæ manifestentur. Juxta hos, *unitas intentionis* potest dare unitatem objecto.

II. *Tot sunt peccata quot sunt objecta.* S. Alphonsus, Salmant., Vasquez, etc., tenent unicum actum physicum multiplicari moraliter ob multiplicationem virtualem tendentiarum quam continet ad diversa objecta.

N. B. Aliqui qui admittunt 1am sententiam in casu quo objectum *objective moraliter unum sit* ut in exemplo unius multitudinis occisæ unica actione, negant in aliis casibus. Ita juxta Laymann "qui proponit *hodie furari decem, cras viginti, perindie triginta,*" tria committit peccata, quia nullo modo objective uniuntur.

Alii (v. c. Lehmkuhl, Genicot) in genere adhærent 1ae sententiæ, sed volunt peccata multiplicari si diversa objecta distincte apprehenduntur.

Fautores 2ae sententiæ, ut D'Annibale, illam restringunt ad casum in quo plura objecta distincta sunt *formaliter.* Etiam si sint materialiter diversa, tamen objectiva unitas moralis causa est cur tendentia

voluntatis in illa *ut in unum* sit peccatum numerice unum. Ita qui *aptat diversa mala inimico (paupertatem, infamiam, mortem) sub uno genere mali,* committit unum. Croix V, 159. Item qui Eucharistiam distribuit pluribus simul (unum convivium); qui simul plures articulos fidei negat (una fides), qui plures ab Ecclesia vi extrahit, plura uni furatur; qui coram pluribus detrahit, in pluribus detrahit, (una existimatio).

Rationes—Suarez et Lugonis.

1. "In eodem actu entitative uno nequeunt esse plures malitiæ numero diversæ, cum in eodem subjecto nequeant esse plura accidentia numero distincta." Ita Suarez, Laymann, Filiucci. (S. A., n. 45.)

Suarez (De Poen. d. 22, s. 5, n. 36) ita: "Tum quia non per modum relationum, sed privationum attendenda est eorum distinctio: tum etiam quia relatio transcendentalis, fundata in indivisibili entitate, non multplicatur propter materialem distinctionem terminorum, seu objectorum: unde in tali actu neque augeri neque minui potest ille transcendentalis respectus, quia indivisibiliter tendit ad omnia illa objecta per modum unius." (apud Gaude—ibid.)

Respondet—S. Alphonsus.

Hoc valet in physicis, non in moralibus. In his enim, licet actus physice sit unus, moraliter tamen bene potest esse multiplex, quando juxta prudens judicium unicus ille actus æquivalet pluribus, habita ratione ad objecta totaliter diversa, prout patet exemplo copulæ conjugati cum conjugata, et docet S. Thomas. (S. A. n. 45.)

"Contingit aliquod quod est unum in genere naturæ consideratum . . . esse plures secundum quod ad genus moris retorquetur, si voluntas in actu varietur." (In Q. disp. 42, q. 1, a. 1, corp.)

2. "Licet in eodem actu possint esse plures *malitiæ,* tamen ex Trid. tenemur explicare numerum peccatorum, non malitiarum." Lugo.

Rationes—S. Alphonsi.

Si conjugatus copulam habet cum conjugata, unico actu violat jus suæ uxoris et jus mariti alterius cooperando cum illa. Duo peccata injustitiæ in eadem materia committit ut admittunt adversarii.

Respondet D'Annibale ad responsum Lugonis: "Reponit Lugo . . . : 'diversa virtus esse videtur, quæ læditur!' sed perperam."

Posito quod sint plures malitiæ, sunt plura peccata, nam peccata diversa non sunt nisi malitiæ diversæ. (S. A.)

Respondet—De Lugo.

Alio modo tendendi violat diversa jura. Revera sunt duo actus morales in uno isto actu physico.

Idem fieret si directe unum committeret et aliud in causa etsi contra eamdem virtutem.

CASUS

I. **Uno ictu plures homines occidit,** e. g. explosione una decem homines in curru privat vita ex generali mala voluntate occidendi.

℟. a) Multi tenent esse tot peccata numerice distincta ac sunt homines. Ita S. Alph. l. c., Croix, Salmant., Vasquez et inter recentiores Prummer I, n. 379.

b) Alii tenent esse unicum peccatum. Ita Lugo, Suarez, Tamburini, Noldin, Genicot, Lehmkuhl, Arregui, Ferreres, Bucceroni, etc.

N. B. (1) Generatim in praxi exigunt mentionem *pluralitatis* in confessione. Ita Lugo, n. 141; Tamb., *Methodus* l. 2, c. 1, §9, n. 59; Buccer. I, n. 304; Lehmkuhl I, 349; Arregui, n. 108. Sed est solum sub obligatione vitandi mendacium; ita Noldin, 311, n. 1. Lugo, n. 141, Arregui, l. c.

(2) Quid si singuli homines distincte apprehenduntur? Juxta plures multiplicantur tunc peccata et est obligatio enumerandi. Probabile tamen videtur quod si existat *objectiva coalescentia* et si prior cognito et intentio fuerit confusa et extensa ad unum illud objectum, non sit multiplicatio, etiamsi postea distincte cognoscantur ante executionem.

II. **Qui unico actu voluntatis vult ad decem mulieres accedere.**

℟. Probabiliter unicum est peccatum, sive sit desiderii simplicis, sive sit efficacis propositi.

Si patrantur, constituunt decem peccata.

III. **Qui unico actu voluntatis, vult decies ad unam accedere.**

℟. Eadem solutio. Hinc meretrix resolvens se peccaturam cum omnibus qui hac nocte accedent, probabiliter unum committit; plura tamen si exsequitur.

IV. **"Unica detractione coram tribus personis tria** crimina specie morali distincta apposuit communitati religiosæ fratrum viginti: quot patravit peccata?

℟. Juxta alios et alios, *unum, tria, viginti, sexaginta, centum octoginta."* Pighi, p. 214.

V. Unico actu furti summam centum dollariorum surripuit quod ad centum pertinuit; quot peccata?

℟. Prob. unum grave. Juxta alios centum levia. Ad quid tenetur practice?

VI. Imprecatur diversa mala ex unico æstu passionis?

℟. Probabiliter unum.

VII. De Missa, breviario, jejunio, etc., qui unico proposito intendit ea omittere per annum?

℟. Probabiliter unum peccatum; sed si exsequitur propositum unaquæque omissio erit peccatum distinctum.

VIII. Intendens fornicationem, plures actus circa eam ponit.

℟. Unum (dummodo non nova species accedat), quia ordinantur tum objective, tum in intentione ad illud opus unum. Duplex si primo intenderet solum inhoneste tractare et accedit ad fornicationem.

IX. Qui positis mediis, desistit ab executione.

℟. Unum est peccatum (nec media sunt necessario subjicienda, nisi propriam malitiam habeant).

De Peccatis Internis

Delectatio in genere est

motus appetitus in bonum adeptum;

"Ad secundum dicendum quod in animali duplex motus considerari potest: unus secundum intentionem finis, qui pertinet ad appetitum; alius secundum executionem, qui pertinet ad exteriorem operationem. Licet ergo in eo qui jam consecutus est bonum, in quo delectatur cesset motus executionis, quo tendit ad finem, non tamen cessat motus appetitivæ partis, quæ sicut prius desiderabat non habitum, ista postea delectatur in habito. Licet enim delectatio sit quies quædam appetitus, considerata presentia boni delectantis, quod appetitui satisfacit, tamen adhuc remanet immutatio appetitus ab appetibili, ratione cujus delectatio motus quidem est." S. T., I, II, q. 31, a. 1.

"Ad tertium dicendum quod alia nomina ad delectationem pertinentia sunt imposita ab effectibus delectationis; nam *lætitia* imponitur a dilatatione cordis, ac si diceretur *lætitia*: *exultatio* vero dicitur ab exterioribus signis delectationis interioris, quæ apparent exterius, in quantum scilicet interius gaudium prosilit ad exteriora; *jucunditas* vero dicitur a quibusdam specialibus lætitiæ signis vel effectibus; et tamen omnia ista nomina videntur pertinere ad gaudium, non enim utimur eis nisi in naturis rationalibus." S. T., I, II, q. 31, a. 3.

"Delectatio autem appetitus intellectivi nihil aliud est

quam simplex motus voluntatis. Et secundum hoc Augustinus dicit in 14 de Civ. Dei, cap. 6, circ. princ., quod *cupiditas et lætitia nihil est aliud quam voluntas in eorum consecutione quæ volumus.*" S. T. I. II, q. 31, a. 4.

sensibilis, si est in appetitu sensitivo;

rationalis, si est in voluntate.

Delectatio rationalis, seu ***morosa*** de qua hic est sermo, est *complacentia voluntatis deliberata in re præsentata in cognitione.*

Complacentia: i. e. approbatio seu protensio voluntatis in rem. Dicitur morosa quatenus nonnisi post advertentiam rationis habet locum. *Moratur* seu *expectat* deliberationem.

Res præsentata in cognitione: quibus verbis exprimitur objectum approbationis. Est igitur *opus* quod inspici potest aut ut externe patratum, aut ut interne repræsentatum; in altero hoc sensu intelligimus nunc objectum delectationis. Neque confundendum est cum *cognitione ipsa* operis vel cum *modo* quo opus est factum.

Res ista mala in imaginatione vel facultate æstimativa apprehensa potest esse aut actio quædam aut ipsa delectatio prohibita.

Morosa delectatio est peccatum, independenter a desiderio. Constat enim voluntatem ferri in objectum malum et ab eo specificari. Hinc S. Augustinus: "Nec sane negandum est esse peccatum cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerant." Lib. de Trin., c. 12. Cf. Vasquez, Diss. 109, *ubi allegantur Chrysostomus, Hilarius, Gregorius, etc.*

Gravitas peccati pendet ex materia et ex plenitudine advertentiæ et consensus.

Induit malitiam specificam objecti. An vero malitia circumstantiarum contrahatur, disputatur. Certum est eam contrahi si voluntas in eam *ut talem* fertur. Secus omnino probabilis est sententia negans; solet enim tale objectum proponi cum quadam præcisione a circumstantiis quæ speciem mutant, ita ut ipsa res aut communis quædam delec-

tatio a contemplatione ipsius orta constituat objectum complacentis voluntatis. In praxi igitur, quamvis certe revelandæ sunt circumstantiæ *ex parte agentis* quæ speciem mutant, v. g. sacrilegium in eo qui voto publico castitatis ligatus peccatum morosæ delectationis in re venerea committit, non sunt investigandæ circumstantiæ *ex parte objecti*, dummodo absint desideria.

Desiderium *est actus quo voluntas versatur circa aliquid in futuro faciendum, obtinendum, omittendum.*

Efficax dicitur si est firmum et absolutum; et vocatur *propositum* si est intentio ponendi *propriam* actionem, *simplex* desiderium si attingit actum ab alio ponendum.

Inefficax desiderium est conditionalis adhæsio voluntatis ad futurum opus, seu est velleitas. Revera habet vim absolutam relate ad illam partem objecti quæ non excluditur a conditione.

Desiderare objectum malum est per se peccatum, grave vel leve, hujus vel illius speciei prout objectum se habet ad legem prohibentem.

Efficax contrahit malitiam objecti prout est *a parte rei.* Ergo manifestandæ sunt circumstantiæ mutantes speciem, v. g. *proposui furtum calicis;* sed fieri potest ut desiderium sit alicujus actionis prohibitæ in genere sine determinatione ultimæ speciei, v. g. fornicationis vel adulterii.

Inefficax desiderium est peccatum quando apposita conditio non tollit malitiam; v. g. furarer, si possem; peccarem nisi esset infernus. (Per accidens sæpe fit ut quis non peccet dicendo se velle ut quædam non prohiberentur quæ sunt contra legem naturalem; quamvis enim est peccatum velle abolitionem legis naturalis, talis locutio aliquando est potius expressio propensitatis quam verum desiderium).

Gaudium *est actus quo voluntas approbat actum præteritum positum vel omissum sive a se sive ab alio.*

De usu vocabuli apud veteres cf. S. Th. I, II, q. 31, a. 3. "Nomen gaudii non habet locum nisi in delectatione quæ consequitur rationem." In præsenti materia solet restringi amplius adhuc *Gaudium* ad significandam complacentiam rationis in malo actu *præterito.*

Actus quo quis gaudet in actione mala induit malitiam

objecti et circumstantiarum quæ aliam speciem malitiæ afferunt objecto.

Eadem est ratio ac ea quæ data est pro desiderio, nam in utroque casu voluntas tendit in objectum prout est a parte rei.

N. B. I. Per se non est illictum gaudere de *bono effectu* mali operis.

II. Numquam licet gaudere de malo opere in se, etiam quando fuit materiale tantum peccatum. Qui enim superaddit actum voluntatis approbativum, supplet id quod unice requiritur ad formale peccatum constituendum.

III. *Sæpe illicitum est gaudere de malo opere in quantum est productivum boni effectus.* Ita currit Propositio 15 inter damnatas ab Innocentio XI: "Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate patrato proper ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas." Constat adesse deordinationem contra pietatem in tali gaudio.

IV. Quamvis juxta dicta prohibetur gaudium de actione mala vel de omissione inculpabili in quantum sunt malæ, vel etiam præcisive spectatæ, tamen probabilis est sententia quæ cum Suarez tenet *"licitum non esse gaudere de actu præterito secundum se et propter ejus voluptatem; licitum tamen esse gaudere de bono effectu inde secuto, atque adeo de illo actu tantum ut causa fuit talis effectus."*

De Vitiis Capitalibus

Vitium capitale illud est "ex quo alia vitia oriuntur et præcipue secundum originem causæ finalis." Sicut *caput* est principium et directivum membrum in animali, ita vitium capitale est *fons* et *dux* aliorum vitiorum. q. 84, a. 3.

Septem sunt vitia capitalia, quia fines eorum habent tot distinctos et primarios modos movendi appetitum. a. 4.

Ad prosequendum
- bonum animæ (excellentiam)—*Inanis gloria* vel *Superbia*
- bonum corporis—individui—*Gula*
- speciei—*Luxuria*
- bonum externum—*Avaritia*

Ad fugiendum
- bonum proprium ob malum corporale—*Acedia*
- bonum alienum
  - sine insurrectione—*Invidia*
  - cum insurrectione—ad vindictam—*Ira*

Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. In omnibus bonis temporalibus acquirendis, finis est ut homo per illa quamdam perfectionem singularem et excellentiam habeat. Ergo in ordine intentionis, quia finis omnis peccati est peccatum capitale. *"Initium omnis peccati est superbia."* Eccli. X, 15; I, II, q. 84, a. 2. Perfecta superbia est peccatum grave.

Avaritia est inordinatus appetitus bonorum temporalium externorum seu divitiarum. Hoc peccatum speciale est *"radix omnium malorum,"* (1 Tim. ad instar radicis arboris, quæ alimentum præstat toti arbori). Quamvis divitiæ sint tantum *medium* ad alia, in ordine executionis præbent opportunitatem primam et maxime universalem adimplendi omnia desideria peccaminosa. *"Pecuniæ obediunt omnia."* Eccle. X, 19; q. 84, a. 1.

Quatenus opponitur justitiæ, avaritia est ex genere suo grave peccatum; quatenus liberalitatem lædit, est leve.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereæ. Quando actus est plene deliberatus et objectum est directe volitum est grave ex toto genere suo.

Invidia est tristitia de bono alterius quætenus est proprium malum, relative minuendo nostram excellentiam. Differt ab *æmulatione* qua tristamur non quia alius possidet bona, sed quia nos perdidimus. Est ex genere suo mortale, nam directe opponitur caritati.

Ira est inordinatus appetitus vindictæ, et ut talis est grave ex genere suo. Quatenus est solum motus excandescentis animæ est leve.

Acedia est tristitia et aversio a rebus spiritualibus ob molestiam annexam. In stricto sensu est ex se mortale peccatum; quatenus sumatur ut *pigritia*, gravitas habebitur ex gravitate obligationis neglectæ propter ipsam.

Gula est inordinatus appetitus cibi vel potus. Ex genere est leve.

De Gula

IIa, IIæ, q. 148.

Gula est *inordinatus* appetitus cibi et potus.

Inordinatio est in eo quod quis excludens rationes necessitatis et utilitatis, propter meram delectationem excedit mensuram in edendo vel bibendo. Talis enim concupiscentia non regulatur a ratione sed potius contra ordinem rationis est.

Prout inordinatio ista se respiciat solam perversionem aliquam in usu mediorum, est peccatum veniale. Accedere potest gravitas ex alio fonte, si v. g. propter concupiscentiam hanc contemnit alia præcepta gravia, etc.

De Ebrietate

Ebrietas est inordinata concupiscentia potus inebriantis.

Inordinatio consistit in immoderata quantitate sumenda, i. e. quæ potens est ad rationis usum tollendum.

Quaestiones

I. *An licet ad morbum depellendum?* v. g. consilio medici magnam quantitatem Cognac ad typhoidum vel aliam febrim cohibendam.

1ª *Sent.* Collet, Holzman, Concina, Billuart negant. Tenent enim potationem esse illicitam etiamsi sumatur ex alia ratione præter inordinatam concupiscentiam.

℟. Hoc est verum si sensus *inordinatæ concupiscientiæ* restringitur ad *delectationem sensibilem* sed nego prorsus hunc esse sensum. Potius significat *ex irrationabili causa;* tunc enim est vere *ex inordinata concupiscentia* seu ex appetitu non regulato a ratione ipsique subjecto. *"Ex sola voluptate"* datur a S. Thoma ut exemplum talis inordinationis et revera est consuetum motivum.

2ª *Sent.* S. Alph. In quantum potatio vini est actio in se indifferens cum duplici effectu, licet ad bonum effectum procurandum permitttere malum effectum.

℟. Practice concedit liceitatem in hoc casu, sed ratio allata non videtur solida, nam malitia non est in effectu, i. e. *privatio rationis* sed in actione potandi. Nisi salvetur hæc actio a peccato, illicitum fiet medium.

3ª *Sent.* Busembaum, Lessius, Layman, Lacroix, tenet esse licitum directe quærere privationem rationis; nam *data causa justa* potatio talis non erit inordinata, sed ex honesto motivo, quod sufficit ad eam justificandam. Non dicimus omne motivum sufficere.

II. *An licet ad operationem chirurgicam?*

Sent. I. Non licet. Ita S. Alph., quia est adhibere medium malum ad bonum posterius obtinendum.

Sent. II. Licet—quia duplex est effectus—1º, sopor sensuum; 2º privatio usus rationis. Si non intenditur 2us, sed 1us, licet. Ita Gury, Auctor, Ballerini et multi alii: Sopor sensuum provenit ex laxitate nervorum. Infirma est ratio: Sopor sensuum et privatio rationis per se et necessario connectuntur et id quod intenditur est status *inconscius.*

Sent. III. Vix videtur necessarium confugere ad illum duplicem effectum. *Licet* quando fit ex necessitate et non ex sola voluptate vel alio motivo simili et insufficienti. Necessitas est *ipsum bonum esse corporalis valetudinis.* Ex eo quod aliqui abutuntur *necessitate* non sequitur illam explicationem non esse admittendam.

An licet inducere alium ad se inebriandum ut mors vitetur?

R. (1) Certe juxta omnes licet inducere alium ad ebrietatem *materialem* (utpote propinando vinum fortissimum cujus virtute incognita præter intentionem adeoque sine peccato inebrietur) ad evitandum gravissimum malum ab isto inferendum.

(2) Lessius (l. iv, c. 3, d. 4) docet licere provocare aliquem in his adjunctis ad formalem et voluntariam ebrietatem, quia, ait, inducitur ad minus malum.

(3) Laymann (l. 3, s. 4, n. 6) negat licere; nam, ait, nunquam licet alium ad rem intrinsece malam inducere nisi in casu quo jam intendentem majus malum induco in minus virtualiter contentum in majore, ut ad fornicationem loco adulterii, percussionem loco homicidii, furtum minus, etc. Est potius adhortatio ad omittendam partem malitiæ.

S. Alph., m. 57-77, admittit probabilitatem sententiæ Lessii. Cf. Genicot, nn. 186-234, qui ipse tenet esse proba-

bile; Bucceroni, n. 337. Ita Sanchez, Govat, Busembaum. Negat Prummer, n. 671.

III. *An liceat se inebriare morte minitata, nisi quis hoc faciat.*

℟. (1) Si odium religionis, scandalum, etc., ingrediantur, non licet.

(2) His remotis, Busemb., Less., l. iv., c. 3, d. 4; Palao, Laymann affirmant, quia non absque necessitate fit.

IV. *An ad secreta patefacienda?*

Licet *materialiter*, si tenetur revelare. Struggle, Bucc. 338; La Croix v, 328-329.

V. *An peccat qui amentem inebriat?*

Non per se—jam privatur usu rationis; per accidens ob turpes actiones, blasph., etc.

VI. *An imputabilia sunt mala commissa in ebrietate?*

℟. Non prævisa, *N.* prævisa, mala opera, *C.*, de verbis contumeliosis, *N.*

"Quod homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur et multa peccata vitat, ex sola voluptate vini, expresse virtuti contrariatur." I, II, q. 88, a. 5, ad 1.

"Ebrietas est peccatum mortale quia secundum hoc homo volens et sciens privat se usu rationis quo secundum virtutem operatur et peccata declinat; et sic peccat mortaliter periculo peccandi se committens. Unde ebrietas per se loquendo est peccatum mortale." S. Thom., II, II, q. 150, a. 2; I, II, q. 88, a. 5, ad 1; Gal. V, 21. *"Neque ebriosi."*

N. B. (1) Ad malitiam hujus *perfectæ ebrietatis* contrahendam *sufficit deliberata sumptio illius quod* aptum est, aut proxime periculosum est.

(2) Non excusatur ex eo quod sommo se committat antequam effectum plenum sortiatur.

(3) Non computatur quævis perturbatio capitis, vel titubatio pedum, signum *perfectæ* ebrietatis, sed incapacitas notabiliter durans distinguendi inter bonum et malum.

DE CONSCIENTIA

Thesis X

Regula proxima et interna moralitatis est conscientia, quæ, ut talis sit, debet esse (1) ***recta seu vera aut saltem invincibiliter erronea, et*** (2) ***certa, saltem vi principii reflexi.***

Regula moralitatis; i. e. norma cui conformari debent actus humani ut rite tendant in ultimum finem hominis.

Regula proxima et interna; qua scilicet norma objectiva et remota (lex) *applicatur subjecto.*

Conscientia: (1) *Etymologice* est *communis plurium scientia.* Multiplici significatione *reali* adhibetur, sed in genere importat notitiam qua aliquid de novo cognitum coordinetur cum alio cognito et ita habeatur reflexio saltem virtualis. Dividi possunt significationes reales in *psychologicam* et *moralem.* De hac altera agitur in thesi.

(2) *Conscientia moralis* diversimode intelligitur, prout vel *habitum naturalem,* vel *usum et applicationem* hujus habitus denotat. Pauca de singulis.

(a) Habitus naturalis primorum principiorum moralium. *Synderesis.* Ejus actus est judicare modo generali bonum esse faciendum et malum vitandum.

"Sicut ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis esse indita sicut principa speculabilium, ita et principia operabilium." I. q. 79, a. 12.

"Prima principia speculabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad aliquam specialem potentiam, sed ad quemdam specialem habitum, qui dicitur intellectus principiorum. . . . Unde et principia operabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad specialem potentiam, sed ad specialem habitum naturalem, quem dicimus synderesim. Unde et synderesis dicitur instigare ad bonum et murmurare de malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, et judicamus inventa. Patet ergo quod synderesis non est potentia sed habitus naturalis." Ibid.

(b) **Judicium practicum de bonitate vel malitia operationis propriæ.**

Judicium—est igitur actus intellectus, non voluntatis.

Practicum—habens relationem ad particulare opus faciendum (vel, minus stricte, factum).

De bonitate—innixum ipsi cognitioni jam habitæ vi principiorum, et applicans talem cognitionem huic operationi.

"Conscientiæ nomen significat applicationem scientiæ ad aliquid. Quælibet autem scientia ad aliquid applicari potest; unde conscientia non potest nominare aliquem habitum specialem vel aliquam potentiam; sed nominat ipsum actum, qui est applicatio cujuscumque habitus vel cujuscumque notitiæ ad aliquem actum particularem. Applicatur autem aliqua notitia ad aliquem actum, dupliciter; uno modo secundum quod consideratur an actus sit vel fuerit, alio modo secundum quod consideratur an actus sit rectus vel non—" et de hac ultima applicatione prosequitur. "Uno secundum quod per habitum scientiæ dirigimur in aliquid faciendum vel non faciendum; alio modo secundum quod actus, postquam factus est, examinatur ad habitum scientiæ an sit rectus vel non rectus. Secundum autem utriusque applicationis modum nomine conscientiæ utimur. Secundum enim quod applicatur scientia ad actum sit dirigens ipsum, secundum hoc dicitur conscientia instigare vel inducere vel ligare; secundum vero quod applicatur scientia ad actum per modum examinationis eorum quæ jam acta sunt, sic dicitur conscientia accusare vel remordere, quando id quod factum est invenitur discordare a scientia ad quam examinatur . . ." De Verit. Q. 17, a. 1.

"Sciendum est quod ratio in eligendis et fugiendis, quibusdam syllogismis utitur. In syllogismo autem est triplex consideratio, secundum tres propositiones, ex quarum duabus tertia concluditur. Ita etiam contingit in proposito, dum ratio in operando ex universalibus principiis circa particularia judicium assumit. Et quia universalia principia juris ad synderesim pertinent, rationes autem magis appropriatæ ad opus vertinent ad habitus, quibus ratio superior et inferior distinguuntur, synderesis in hoc syllogismo quasi majorem ministrat, cujus consideratio est actus synderesis; sed minorem ministrat ratio superior vel inferior, et ejus consideratio est ipsius actus; sed consideratio conclusionis elicitæ est actus conscientiæ. II, dist. 24, q. 2, a. 4. I, II, q. 76, a. 1.

Recta seu ***Vera:*** quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum quod revera tale est.

Erronea: quæ dictat aliquid esse licitum vel illicitum quod revera non est.

Invincibiliter erronea: quæ in casu non potest, moraliter loquendo, corrigi.

Vincibiliter erronea: quæ facile potest corrigi.

Certa: quæ oritur ex motivo quod excludit formidinem. Certitudo quæ requiritur est moralis.

Reflexe: fundata inadæquate in motivo quod ex se non tribueret certitudinem judicii speculativi de bonitate vel malitia actionis, sed quod conjunctum cum alio principio certo tribuit conclusionem certam, quæ est judicium practicum.

Prob. (*Pars 1a—Conscientia est regula.*)

"*Omne quod non est ex fide, peccatum est.*" *Rom. XIV*, 23.

Illud est regula moralitatis, cui si non conformatur actus humanus, eo ipso inhonestus redditur. *Atqui* tale est dictamen conscientiæ, ex his verbis Apostoli. *Ergo.*

Ad. min. (a) ita interpretantur S. Ambrosius, S. Chrysost.

(b) et contextu *fides* significat *dictamen conscientiæ* et non virtutem supernaturalem fidei: nam loquendo de esu carnium ex se indifferentium, ait "Qui discernit (inter cibos), si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide."

(*Pars 2a—regula proxima.*)

Illud est regula proxima quo manifestatur et applicatur nobis lex divina seu regula remota. *Atqui* per dictamen conscientiæ fit talis applicatio. *Ergo.*

(*Pars 3a—Sola recta vel invincibiliter erronea est regula.*)

Sola recta vel invincibiliter erronea est regula moralitatis si (1) semper licet sequi talem et si (2) numquam licet sequi vincibiliter erroneam. *Atqui* ita est. *Ergo.*

Ad. min. (1) Qui agit juxta rectam vel invincibiliter erroneam, sincere putat se adimplere legem divinam. *Atqui* actio posita sub tali persuasione est semper licita et honesta utpote conformis in quantum moraliter possit hic et nunc supremæ regulæ.

(2) Qui agit sive juxta sive contra vincibiliter erroneam conscientiam peccat. Ergo talis conscientia nequit esse regula moralitatis.

Prob. Anteced. In utroque casu exponit se periculo peccandi, non deponendo errorem.

Difficultates

1. Conscientia invincibiliter erronea non est regula. Nam quandoque obligaretur quis sub pœna peccati ad faciendum malum. *Atqui* nequit esse talis obligatio. *Ergo. Prob. Min.* Omnis obligatio derivatur ex lege æterna. *Atqui* lex æterna nequit obligare ad malum. *Ergo.*

℟. *Dist. Ult. Min.* Ad malum formaliter, *C.* ad malum materialiter, *subd.* absolute, *C.* hypothetice, *N.*

2. Actio bona debet a recta ratione procedere. *Atqui* conscientia invincibiliter erronea non est recta. *Ergo.*

℟. *Dist. Maj.* A ratione recta saltem subjective et practice, *C.* objective et speculative, necessario, *N.*

Cfr. *Wirc. n.* 191.

(*Pars 4a—Sola certa, saltem vi principii reflexi, est regula.*)

Prænotanda ad argumentum

A. De varietatibus certitudinis. Status mentis *certus* reponitur in *firmitate assensus sine formidine oppositi.* Differt certitudo a *dubio* quia in dubio mens hæret anceps inter utramque partem; differt a *probabilitate* quia assensus probabilis est inclinatio in unam partem cum formidine oppositi.

Ipsa certitudo dispescitur in *Metaphysicam, Physicam* et *Moralem.* Motivum certitudinis *moralis,* etsi absolutam possibilitatem erroris admittat, sæpe est ita efficax ut ne vestigium quidem formidinis permittat in homine sano. Ita est, v. g. de certitudine existentiæ Romæ. Talis certitudo est moralis perfecta, et in rebus moralibus sæpe habetur in dictamine conscientiæ, ut, v. g. cum clarissime sciens furtum esse prohibitum et hanc rem non esse meam, conscientia dictat, ablationem hic et nunc esse vitandam.

Attamen est quædam *certitudo moralis imperfecta* seu *late dicta,* quæ non tam arcte ex propriis principiis colligit conclusionem, sed potius ex verisimilibus, vel ex mera auctoritate humana. Limitatur quidem fundamentum talis assensus, admittit exceptiones quasdam, sed adhuc sufficit ad excludendam formidinem prudentem. Ita, v. g. imprudenter quis cohiberet assensum de genuina scriptione epistolæ quam excepit, quam expectavit, quando formatio litterarum indicat scriptorem. Quod hæc *certitudo moralis late dicta* sufficit in moralibus, ostendit S. Thomas: *"Certitudo non est simpliciter quærenda in omni materia; in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo*

quod sint circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus deficiat." *II, II, q.* 70, *a.* 2; *I, II, q.* 96, *a.* 1 *ad.* 3. *I Ethic, lect.* 3.

B. De Conscientia indirecte certa. Quandoque non possumus *directe*, i. e. *sine ratiocinio*, habere certitudinem de honestate actionis; imo neque sufficit facile istud ratiocinium, seu potius illatio, qua concluditur ad liceitatem ex una præmissa generali et alia particulari de eadem materia. Attamen fieri potest ut etiam tunc, ope principii generalis vel adducti ex alia materia, et annexa propositione minori de determinata actione in hac re, conclusio inferatur de liceitate hujus actionis.

Argumentum: a. (*Certitudo requiritur.*)

Conscientia certa requiritur, si non licet sequi conscientiam dubiam vel solummodo probabilem. *Atqui* non licet. *Ergo.*

Prob. Min. Non licet deliberate se exponere periculo peccandi. *Atqui* operans ex probabili tantum vel dubia conscientia exponit se huic periculo. *Ergo.* Cf. Wirc., No. 185.

"*Qui plures præbendas habet, etiam casu quo id revera licitum sit, peccaret, si habet dubitationem de opposito; quia si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo procul dubio se committit, ac sic procul dubio peccat.*" *Quoad lib.* 8, *art.* 13.

De objectionibus Cf. Wirc., p. 121, n. 186, 7, 8; Casajoana, p. 386, n. 143.

b. (*Sufficit certitudo moralis late dicta.*)

Nisi talis certitudo sufficeret, vita humana honesta evaderet impossibilis. *Ergo.*

Prob. Anteced. Ad vitam degendam, quamplurimæ sunt actiones prompte et necessario ponendæ de quibus nequit haberi stricte scientifica certitudo. *Atqui* si hoc requireretur tales actiones essent omnes inhonestæ. *Ergo* nisi sufficeret late dicta vita honesta redderetur impossibilis.

c. (*Sufficit conscientia indirecte, seu vi principii reflexi, certa.*)

S. Aug. "Vir justus, si forte sub rege etiam sacrilego militet, recte potest, illo jubente, bellare, si civicæ pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certus est, vel utrum sit certus non est." In decret: P. II, can. 4.

S. Alphons. "Ante omnia, duo ut certa supponere debemus: primum, quod ad licite operandum necessaria nobis est moralis certitudo de honestate actionis. Alterum, quod hæc certitudo haberi potest, non tantum ex directo, sed etiam ex reflexo principio, quo moralis illa certitudo actioni communicatur." *Op. tract., Lib. I, n.* 57.

Unde; miles prædictus acquirit certitudinem de practica liceitate bellandi vi principii reflexi, scilicet quod *"ubi deest certitudo de justitia belli, obtemperandum est principi." Atqui* sola certitudo quæ requiritur est *certitudo practica* de liceitate actionis. *Ergo.* Cf. Wirc., 1. c.

Thesis XI

Licet sequi opinionem vere probabilem, relicta tutiore quæ sit æque probabilis vel etiam vere probabilior, ubi de sola actionis honestate agitur.

Status Quæstionis: Facta investigatione ad solvendum dubium speculativum, sive juris sive facti, quod reddit judicium practicum certum de liceitate actionis impossibile, si adhuc manet dubium, quid agendum? Solus modus perveniendi ad certitudinem de honestate actionis erit per usum ratiocinii ex principiis generalibus, seu indirecte. Juxta diversas applicationes et conclusiones habentur diversa *systemata moralia.*

Tutioristæ. ***Principia:*** a) *Vitandum est periculum peccandi;* b) *In dubio pars tutior est eligenda.*

Conclusiones: a) *Omnis lex probabilis obligat.*

b) Non licet sequi opinionem etiam probabilissimam, relicta tutiori probabili. (Minus rigidi exigunt probabilissimam opinionem ut quis eximatur a lege, rigidiores exigunt certitudinem.)

Crisis: Tutiorismus rigidus damnatus est ab Alex. VIII; mitior forma nequit sustineri, tum quia fundatur in eisdem principiis falsis, tum quia practice exigit certitudinem. Utraque forma est obsoleta.

Probabilioristæ. ***Principia:*** a) *In dubio pars tutior est sequenda;* b) *Ubi veritas non est clara, tenemur eam partem amplecti quæ propius accedit ad veritatem.*

Conclusiones: a) *Obligat lex tum probabilior, tum æque probabilis, non vero lex minus probabilis.*

b) Licet sequi opinionem probabiliorem, relicta tutiori quæ sit vere probabilis, sed non licet sequi æquiprobabilem vel minus probabilem, relicta tutiore.

Crisis: Innixum principio tutiorismi, hoc systema logice debet requirere certitudinem non existentiæ legis; si admittit principium probabilismi æque valet argumentum pro opinione æquiprobabili vel minus probabili.

Aequiprobabilistæ. ***Principia:*** a) *Ubi veritas non patet, tenemur verisimiliorem partem sequi.* b) *Lex stricte dubia non obligat.*

Conclusiones: a) Obligat lex probabilior, non autem lex minus probabilis neque æquiprobabilis.

b) Licet sequi opinionem probabiliorem aut æquiprobabilem, relicta tutiori quæ sit æque vel minus probabilis; sed non licet sequi minus probabilem, relicta tutiori.

Crisis: Illogice admittit principium probabilismi et negat conclusionem. Valet enim argumentum pro minus probabili non secus ac pro æquiprobabili sententia.

Probabilistæ. Nulla lex mere probabilis obligat. (Cf. thesim.)

Laxistæ. Etiam tenuis probabilitas in favorem libertatis eximit a lege. Damnatus ab Innoc. XI.

Sensus Thesis:

Licet; i. e. supposita diligenti inquisitione veritatis; neque obligamur.

Vere probabilem; i. e. non *tenuiter* ut placet laxistis; neque requiritur *æqualis* vel major.

Ubi de sola honestate; i. e. de liceitate hujus actionis, nulla supposita obligatione orta ex prævia certa obligatione attingendi aliquem finem determinatum.

Prob. I. Motiva probabilia pro lege nequeunt gignere certitudinem obligationis.

Atqui ut quis obligetur, requiritur cognitio certa obligationis.

Ergo motiva probabilia nequeunt sufficere ad obligationem imponendam.

Ad. Maj. Effectus nequit superare causam.

Ad. Min. Nemo obligatur a lege nisi percipiat ipsum nexum actu existentem inter legem et voluntatem suam. *Atqui* cognitio probabilis obligationis non est perceptio nexus actu existentis, sed *apparentiæ* nexus. *Ergo* ut quis obligetur, requiritur cognitio certa obligationis.

"Nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante

scientia illius præcepti." S. Thom., *De Ver.*, q. 17, a. 3.

II. (*Ex Traditione, auctoritate et praxi Ecclesiæ.*)

a) SS. Patres, etsi non proposuerunt formulam scientificam quæ expresse docet principia ad solvenda dubia, sæpius inculcarunt vel supposuerunt leges non obligare individuos manente dubio de illis.

S. Greg. Nazian. De secundis nuptiis, "Aut rem ita esse proba; aut, si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas."

S. Hieronymus. De irregularitate ex bigamia, "Nulli præjudicans sequi quod velit."

S. Augustinus. De jejunio Eucharistico, "nulli etiam contradicere" audet.

(*N. B.* Ad solvendas difficultates: Sæpe PP. urgent necessitatem inquirendæ veritatis, evitandi laxismi, sequendi partem tutiorem in obtinenda salute.)

b) **Scholastici medii ævi**, ex eo quod non clare explicaverint modum indirecte formandi conscientiam, quod non rite distinctionem stabilierint inter judicia speculativa et practica, sæpe in probabiliorismum inciderunt. Attamen ipsa principia probabilismi sæpe ab ipsis enunciantur.

S. Thomas: loc cit.

S. Antoninus: cf. Auct.

Bonaventura: " "

Innoc. III. permisit triennale experimentum.

c) **Moderno Tempore:**

Ecclesia permittit late diffusam a Sæc. XVI, usque ad hodiernam diem.

"Ab anno circiter 1610 (quando egressus est ex finibus Hispaniæ) usque ad annum circiter 1650, scholis fere omnibus potitus est, præsertim ex quo Suarezius illum ad sententias coercuit probabiles probabilitate non *facti* sed juris (i. e. de licito vel illicito). Namque ei nomen dederunt discipuli D. Thomæ omnes, uno vel altero excepto; Scoti discipuli, Mastrio teste, qui probabilistarum sententiam vocat communissimam et receptissimam in omni schola; PP. Soc. Jesu omnes prorus, frustra in contrarium obnitente Præposito eorum Generali Thyrso Gonzalez, quibus exceptis Theatinis, TT. fere omnes suffragati sunt." *Ita D'Annib, I. proœm.*

Quando in decreto Alex. VII (1665) damnatus est probabilismus falsus, nihil dixit contra moderatum probabilismum.

Iterum quum a. 1761, damnarentur theses laxistarum, respondit Major Pœnitentiarius S. Alphonso interroganti, non tangi sanum probabilismum.

Sæpe approbavit opera S. Alphonsi, quæ pro maxima parte sunt confutatio Probabiliorismi.

Ipsa praxis Ecclesiæ sæpius conformis est doctrinæ probabilismi.

Difficultates

1. Tutius est eligendum. *Atqui* Probabilismus ostendit viam minus tutam ad æternam salutem. *Ergo.*

℟. Si dubium sit de necessario necessitate medii, *C.* si utrumque sit simpliciter tutum, *N.*

N. Min. Cf. Bucceroni Com. p. 55 *et* 56.

2. Qui *probabiliorem* opinionem sequitur, propius accedit ad veritatem. *Atqui* in formanda conscientia debemus quod possumus facere in assecutione veritatis. *Ergo.* Wouters, 44-45.

℟. *N. Maj.* vel distinguo, *Major apparentia, C.* magis possidet veritatem, *N. Contradist. Min.*, ita ut attingamus, *C.*, ita ut status mutetur per approximationem, *N.*

Quamvis minorem habeat formidinem, nihilominus formidat; quamvis major sit apparentia veritatis, non magis possidet veritatem.

Essentiale discrimen est inter possessionem et absentiam veritatis certo cognitæ. Sicut gradus certitudinis non mutant factum *obligationis*, ita gradus formidinis non mutant factum libertatis.

3. Obligatio correspondere debet cognitioni. *Atqui* juxta hoc principium, quod nullo modo cognoscitur (dubium strictum), nullo modo obligat, quod certo cognoscitur certo obligat, quod ut probabilius cognoscitur, probabilius obligat. *Ergo* probabilismus nequit sufficere ad conscientiam certam efformandam.

(*Wouters, pp.* 90, 92, 11, 44, 45.)

℟. 1) Retorquendo—addo quod probabiliter cognoscitur, probabiliter obligat. *E.* Neque æquiprobabilismus.

2) Correspondentia est hæc—aut certa cognitio aut nulla. *"Scientia aliqualis" est contradictio.*

4. Psychologice impossibile est ut prudenter et sincere homo tribuat assensum opinioni minus probabili.

℟. *N.* nam est munus voluntatis determinare. *E.* Nulla necessitas; potest habere optimas rationes prudenter ita agendi.

5. Homo tenetur sincere tendere ad conformandam actionem cum moralitate objectiva—norma—lege.

Atqui eligendo quod probabilius adversatur legi, non ita sincere tendo. *Ergo.*

Wouters, p. 85.

℟. *Dist. Maj. Cognita C.* non cognita et impossibile cognitu, *Subd.*, eo sensu quod geram animum paratum, *C.* eo sensu quod teneor ad rejiciendam opinionem solide probabilem contra, *N.*

Lehmkuhl, p. 25.

6. (contra argum.) Etsi lex probabiliter tantum existens nequit gignere certitudinem obligationis, hæc certitudo potest gigni ab alia lege indirecta et certa. *E.*

℟. *N. Anteced.* Alia ista lex esset vel *lex vitandi malum* vel *lex eligendi tutiorem partem* vel *lex possessionis.* Non propter 1*am*, tum quia ob incertitudinem legis, malum non esset peccatum formale (ex argumento), tum quia si peccati materialis periculum esset prohibitum, ipsi probabilioristæ non possent agere sine certitudine non existentis legis. Non propter 2*am*, quia supponit argumentatio non esse simpliciter tutum sequi alteram partem, vel esse malum vitandum. Non propter 3*am*, quia libertas possidet usquedum *obligatio certa* innotescat.

7. Probabilistæ non habent certitudinem reflexe, secus logice debent tenere opposita systemata esse improbabilia. *Atqui* in praxi non tenent hoc. *Ergo.*

℟. *N. Assertum.* Ad rationem additam, *Dist.*, Tenent esse prorsus illicitum *sibi* ita restringere libertatem pœnitentis, quia certi sunt, *C.* tenent se obligari ad imponendam hanc persuasionem aliis qui ignorantia invincibili laborant, *subdist.* si in practicis solutionibus non sit serium discrimen in modo agendi, *N.*, si est, *Tr.*

8. Aegrotus imprudenter, imo culpabiliter ageret, qui

relinqueret remedium probabilius efficax, et eligeret minus efficax. *E.* a fortiori in casu.

℟. (1) *N. Par.* In casu ægroti est finis determinatus obtinendus qui præsupponitur ut certo et absolute statutus. Non ita in nostro casu.

(2) *N. Supposit.* quod scilicet in nostro casu est malum certum vitandum.

(3) In quibusdam circumstantiis prudenter et inculpabiliter eligeret ægrotus remedium minus probabiliter efficax.

9. *Innoc. XI*—26 *Jun.* 1860—damnavit Probabilismum.

℟. In decreto isto:

1*a pars.* Laudatur Thyrsus Gonzalez Probabiliorista.

2*a pars.* Mandatur ut quilibet in Soc. *libere* oppugnare Probabilismum permittatur.

1) Aeque reprobaretur Aequiprobabilismus si Probabilismus reprobatur.
2) Nulla est reprobatio, sed potius Approbatio, nam supponit libertatem continuari. Imponere libertatem!
3) Thyrsus (1679-1680), petebat modum comprimendi et Innocens fuit mentis severioris.
4) Merum disciplinare decretum ad Soc. Jesu.

Lege verba S. Alphonsi. *Bucc. p.* 66.

10. In dubio melior est conditio possidentis.

Atqui lex possidet in his casibus: (a) quando dubium est de *facto* et non *de* jure; (b) quando dubium versatur de *cessatione* legis, non de existentia; (c) quando notabiliter major est probabilitas pro existentia legis.

Ergo in triplici isto casu, standum est legi.

℟. *Dist. Maj.* proprie possidentis, in materia justitiæ, *C., analogice* possidentis, in obligatione et libertate, *subdist.* dummodo factum obligationis vel libertatis *certo possidet, C.*, si non certo possidet, *N.*

N. Min., nam *obligatio concreta* seu *actuale ligamen* in his casibus non existit.

Ergo lex in concreto non existit. Hinc nulla potest esse quæstio de *possessione legis.*

Cf. *Bouquillon, p.* 539-546. *Prummer, p.* 197.
Bucceroni, p. 48 *et sq.* *Sebastiani, p.* 39.

11. Debet esse media vis obligationis probabilis, inter extremum Probabilismi (lex probabilior nullo modo obligat) et extremum Probabiliorismi (lex probabilior æque ac certa obligat).

Atqui hoc medium invenitur in systemate Compensationis seu Rationis sufficientis.

Ergo admittendum est.

℟. (1) Quandoque libertas mea restringitur a necessitate evitandi mala, lege caritatis.

(2) Præter hos casus, nulla necessitas evitandi violationem materialem legis, ut malum.

(3) Applicari debet principium compensationis ad totam seriem actionum contra legem probabilem.

(4) Ulterius progredi esset impossibile onus imponere et viam aperire ad tutiorismum. Cf. *Bouquillon, p.* 548.

Refutatio Æquiprobabilismi

I. ***Non evertunt argumentum præcipuum Probabilistarum.***

Atqui stante isto argumento nequit admitti restrictio qua limitant libertatem. Ergo.

Ad Maj. *"Aliqualis scientia"* (W. p. 90 . . . 61) quæ sufficit ad veram promulgationem, juxta eos, et ad ligamen imponendum, est fictio.

Rejectio opinionis minus sed solide probabilis tamquam *"opinio quæ assensu opinativo tamquam falsa habenda est"* et *"quæ non sistit terminos rectæ rationis"* est futilis. (Wout. p. 95-15.)

Ad Min. Stante illo argumento (quod innititur *principio causalitatis* et *naturæ obligationis*), motiva probabiliora æque ac motiva æquiprobabilia nequeunt gignere certitudinem contra libertatem.

Atqui adversarii limitant istam incapacitatem ad motiva æquiprobabilia. *Ergo.*

II. ***Aequiprobabilismus*** in quantum discedit a Probabilismo logice reducitur ad Probabiliorismum imo ad Tutiorismum.

Prob. Anteced. In quantum discedit a Probabilismo, tenet hæc duo: 1° Lex probabilior pro lege semper obligat, quia sententia minus probabilis admittit suam probabilitatem; 2° Lex æque probabilis quandoque obligat, quandoque non, prout quæstio sit de existentia vel cessatione.

Atqui utraque pars est fundata in principiis Probabiliorismi, imo Tutiorismi. *Ergo.*

Prob. Maj. (1) Cf. Wouters, p. 14.

(2) notissimum.

Prob. Min. (1)

a) *Certitudo* ex valore ipsius motivi pro libertate requiritur juxta rigidores—absentia cujuscumque formidinis.

b) *Maxima probabilitas*—juxta mitiores—æquivalens certitudo.

c) *Notabilis excessus* juxta probabilioristas — æquivalens certitudo.

d) Admittit ultimam rationem—i. e. expellit omnem formidinem.

(2) Ratio cur rigidiores exigunt certitudinem=quia secus periculum mali.

Ratio cur mitiores exigunt maximam probabilitatem=quia secus periculum mali.

Ratio cur Probabilioristæ exigunt excessum notabilem = quia secus periculum mali.

Ratio cur Aequiprobabilistæ exigunt æqualem = quia secus periculum mali.

Probabilismus S. Alphonsi

Usque ad annum 1762 *strenue defendit Probabilismum nostrum moderatum, urgendo argumenta nostra, refellendo objectiones, hodie propositas a recentioribus æquiprobabilistis, (tunc a probabilioristis.)*

"Licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum." *Diss.* 1755, *n.* 3.

Cf. Bouquillon. p. 571, *n.* 4.

"Quando apparet veritas pro lege, utique tenemur eam sequi, quia tunc lex manifeste apparet, unde nemo potest sibi rectam conscientiam efformare (de non existentia legis.) *Secus si res tantum apparet verisimilior;* tunc enim, cum veritas verisimiliter stet etiam pro altera parte, lex est

dubia, et ideo in isto casu vel non adest lex, vel non obligat." *l. c. n.* 35 . . . *n.* 17. *Cf. Bucc. Com. p.* 76.

"At recte respondent auctores nostri (probabilistæ) falsum esse majorem probabilitatem elidere minorem, nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum si excessus non sit notabilis. . . . Tunc enim opinio probabilis gravi sua probabilitate non destituitur." *Brevis Discussio de Usu Moder. Prob.* 1762. Idem fere in *Disc.* 1749.

Postea, ***et usque in finem vitæ, quamvis adhuc proposuerit principale argumentum contra Probabilioristas, gradatim introducebat novam terminologiam et modum se tuendi contra accusationes laxismi.***

In editione quinta Theologiæ Moralis (1763) quæ prima fuit post Episcopatum susceptum, voluit opus suum a textu Busenbaui separari, propter pericula annexa nomini Jesuitico.

In editione sexta (1767) continentur duo tractatus de Conscientia (1us Busenbaui, tacito nomine; 2us, ipsius, "ut ita ea quæ compendio continentur, latiori stylo clariora evadant").

Hoc tempore (1767) asserit *"licitum non esse sequi opinionem minus probabilem, quando* opinio pro lege est notabiliter et certe probabilior."

Sed hoc dicendo, noulit recedere a Probabilismo. *"Ego non contendo nova systemata condere"* 1765 . . . et . . . *"Quando opinio pro lege est notabiliter et cum excessu probabilior, tunc ipsi Auctores nostri probabilistæ dicunt sequendam esse opinionem pro lege, eo quod tunc lex saltem moraliter jam satis promulgata est."* 1767-*Ep. ad. Vill.* Idem fere dixerat Suarezius, De Leg. l. 8, c. 3, n. 9. "Major probabilitas est quædam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit."

Comparando hæc cum allatis anno 1762, constat S. D. intellexisse per *excessum notabilem* illam quæ reflexe constituit fundamentum judicii moraliter certi. Modus experimendi tamen aptus fuit ad conciliandos probabilioristas.

Quum ipsi concederent "licitum esse sequi opinionem pro libertate notabiliter probabiliorem," ille concessit "illicitum esse deserere legem notabiliter probabiliorem." Ratio data ab utraque parte eadem fuit *verbis*, scilicet, quia *tunc libertas vel lex est moraliter certa*, sed sensus omnino diversus. Juxta probabilioristas, *ipse excessus probabilitatis* (*quæ adhuc manet probabilitas*) requiritur et sufficit ad certo liberandum a lege; juxta S. Alphonsum, notabilis excessus probabilitatis eo ipso cessat esse probabilitas et fit motivum capax gignendi certitudinem moralem late dictam.

Cf. Bouquillon. p. 576-*Not.* 3, ubi verba S. A. clarissime manifestant mentem: "accedit ad probabilissimam"—"periculum excidendi a finibus veræ probabilitatis"; *dubie probabilis*" non est "*solide probabilis.*"

Eodem hoc tempore (1767) urget duplex principium "*Lex dubia non obligat*" et "*Lex incerta nequit certam inducere obligationem,*" et hoc secundum oriri ait ex eo quod cum homo sit in possessione libertatis certa, requiritur certa ratio ad illam auferendam. (Bouq. p. 577, not. 4.)

Ab hoc tempore *duriora* sunt explicatu quæ profert.

1. Mutavit *notabiliter* in *certe.*

2. "In dubiis moralibus debemus sequi veritatem; quapropter, ubi non possumus veritatem clare invenire, saltem sectari debemus illam opinionem quæ propius ad veritatem accedit" 1774 (Bouq. p. 580).

3. Aequalia motiva reddunt mentem *dubiam.* (1774)

4. Dicit Jesuitas fere omnes docuisse licitum usum sententiæ minus probabilis in concursu certe (*notabiliter*) probabilioris. 1770.

Notandum

Ipsa vox *Probabilior* ob usum adversariorum qui propter tendentiam tutioristicam practice requirebant certitudinem, vergebat in sensum *Moraliter Certi.* Sanctus Alphonsus consensit huic ambiguitati, quoties adhiberetur modificatio, *notabiliter, certe.*

Ex alia parte *minus probabilis* a laxistis et a rigoristis sæpe audiebat *tenuiter* et propterea melius judicavit arcere ex suis admissis tale vocabulum.

Omnibus perpensis, voluit simul servare suam doctri-

nam et suam famam, includendo sub una lata et ambigua expressione *æque vel fere æque probabiles* omnes illas oppositas sententias quæ *solide probabiles* sunt. Noluit distinguere gradus; voluit excludere tum *laxas* tum *moraliter certas*.

Cf. Bouq. p. 576, *not.* 3.

SYSTEMA COMPENSATIONIS

I. Quid sit? "Systema novum compensationis seu rationis sufficientis vult limites legis dubiæ obligantis aliter definire. Strenuo defendit contra Probabilismum, legem dubiam aliquo licet imperfecto modo obligare. Contra Probabilioristas autem legi dubia non vindicat tantam obligationem, quantam habet lex certe cognita. Obligatio enim legis mensuranda est ex gradu cognitionis, ideoque lex certe cognita obligat perfecto modo; lex penitus ignota nullo modo obligat; lex autem imperfecto modo cognita; imperfecte obligat. Proinde non licet agere contra legem imperfecte cognitam, qualis est lex dubia. Nihilominus facile accidere possunt casus, in quibus adsunt gravia motiva agendi contra legem dubiam, e. g. si pœnitens favens Probabilismo puro absolute vult sequi sententiam probabilem, relicta probabiliore, vel si sententia benigna probabilis est magis proficua pro salute pœitentis quam sententia probabilior, visis omnibus circumstantiis. In huiusmodi casibus remanet periculum legem saltem materialiter transgrediendi. Iamvero cum etiam materialis transgressio legis sit aliquid malum, non licet se tali periculo exponere sine sufficienti ratione. Hinc in tali casu adhibenda sunt principia de cooperatione ad malum vel potius de voluntario indirecto. Ponitur enim causa, ex qua sequitur duplex effectus, alter bonus scil. libertas in actione, alter malus, nempe periculum transgrediendi saltem materialiter legem. Inter conditiones autem requisitas ad cooperationem vel ad voluntarium indirectum requiritur gravis et proportionata causa. Quo maior effectus malus prævisus est, eo maior causa excusans requiritur. Quare ad sciendum, num contra aliquam legem dubiam agere liceat in casu particulari, sequendo opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, pensanda est gravitas legis et probabilitas opinionis oppositæ. Quo gravior est lex et quo probabilior

est eius obligatio in casu actuali, eo maior requiritur causa excusans." *Prummer, p.* 204, *n.* 344.

II. Quomodo propugnatur? "Nullum systema ex supra dictis evitat graves difficultates; immo unumquodque deductum usque ad ultimas consequentias proficuam praxim confessarii impedit. Probabiliorismus præcellit tum Aequiprobabilismum tum Probabilismum purum, ac unusquisque in vita propria Probabiliorismum exercere studeat. Et revera quilibet sincerus amator veritatis amplectitur illud quod est certo verisimilius, si nequit obtinere omnimodam certitudinem.—Confessarius autem in directione animarum cogitur haud raro amplecti, relicta opinione probabiliore, opinionem licet minus sed vere probabilem, ad maius malum vitandum. Sicuti etiam aliquando peccata materialia permittere debet ad peccata formalia vitanda. Unde etiam S. Pœnitentiaria sæpe præscribit, ut pœnitens sit relinquendus in bona fide, etsi agatur de rebus materialiter certo malis. E. g. permittitur, ut putativi coniuges exsistentes in bona fide maritaliter convivant. Ergo iuxta praxim nunc universalem aliquando licet, ut confessarius permittat peccata materialia et sequatur opinionem minus tutam et minus probabilem. Nihilominus numquam licet sic agere sine gravi et proportionata causa, cum etiam materialis transgressio legis seu materiale peccatum sit quid malum. Generatim in istis casibus agendum est iuxta regulas statutas pro voluntario indirecto. Sin autem istæ regulæ observantur, ex una parte evitantur pericula Laxismi, quæ coniuncta sunt cum puro Probabilismo; ex altera vero parte procuratur salus spiritualis pœnitentis meliore quo potest fieri modo. Unde in praxi hoc systema compensationis seu rationis sufficientis præferendum esse videtur omnibus aliis. Ad sciendum autem, num in casu particulari liceat sequi opinionem vere et certe probabilem pro libertate, relicta probabiliore pro lege, attendendæ sunt singulæ circumstantiæ: quo sanctior et gravior est lex et quo probabilior eius obligatio, eo maior debet esse ratio sufficiens agendi iuxta opinionem libertati faventem; quo autem maior utilitas speratur pro pœnitenti, eo facilius potest permitti opinio probabilis favens libertati." *Prummer, p.* 212. *n.* 351.

Quomodo refutatur?

Arg. I. Aut supponit *periculum inire materialiter violandi legem* esse aliquid malum morale in se aut supponit talis periculi ingressum non esse aliquid malum in se.

Si 1um—a) non respondet argumento positivo Probabilistarum.

b) gratuito omnino imponit onus quod est probandum.

Si 2um—tunc ratione hujus probabilis materialis violationis legis, numquam illicita est actio. Quoad alios malos effectus, judicandum est sicut in casu omnium aliarum actionum bonarum, et proinde nihil novi.

Arg. II. ***Impossibile in praxi.*** Nam præter minutam comparationem graduum probabilitatis, exigit aliam comparationem instituendam in singulis casibus—scilicet de effectibus bonis et malis. Hinc pejus est practice quam æquiprobabilismus.

REGULÆ CONFESSARII CUJUSCUMQUE SCHOLÆ

Probabilioristæ debent cum Pontasso probabiliorista hcc concedere: "Fatendum quod si vere confessario foret persuasum opinionem sui pœnitentis esse probabilem, tunc ei absolutionem posset impertiri; quandoquidem tunc contra conscientiam suam non ageret." Et addit S. A. "Si potest, debet, cum ille jus ad absolutionem habeat."

Cf. verba Victoriæ apud S. A. in eodem loco. Morale Systema. Lib. I, Tr. I, De Cons. Cap. III, p. 63, edit, P. Gaude.

Similiter ipse *S. Alph.* loc. cit. pp. 62 et 63; et notandum ex eodem loco ipsum cum dicat *æqualiter probabiles*, significare *solide probabiles ex utraque parte*, cum approbat verba auctorum quos citat, quamvis nihil de *æquali* dicant.

Aequiprobabilistæ hodierni eandem regulam servare debent ob eandem rationem, dummodo putent opinionem pœnitentis esse *solide probabilem* et non solum tenuiter probabilem. Generatim *solida probabilitas* mensurari potest auctoritate gravi extrinseca.

Compensationistæ concedere debent idem jus pœnitenti, et in comparandis rationibus pro lege et pro libertate, non

debent contra judicium pœnitentis computare periculum mere materialis violationis legis, ut aliquid malum in se.

Hinc deduci possunt sequentes regulæ generales ab omnibus confessariis servandæ.

I. Ex eo quod quis pœnitens theoretice sit *Prob.*, *Aequip.*, vel *Compensat.*, nequit denegari absolutio.

II. Ex eo quod pœnitens practice sequatur aliquam sententiam quæ ut solide probabilis admittitur a gravibus auctoribus (etiamsi omnes pertineant ad scholam pœnitentis, vel nullus ad scholam confessarii) nequit denegari absolutio.

III. Etiamsi confessarius dubitat utrum necne sit opinio pœnitentis solide probabilis, nequit recusari absolutio, si judicat pœnit. habere bonam conscientiam.

IV. Si confessarius *certus sit* opinionem pœnitentis carere solida probabilitate, adhuc *in quibusdam circumstantiis juxta regulas alibi datas*, potest illum relinquere in bona fide.

V. Si Confessarius sit certus nullam esse solidam probabilitatem et nulla est ratio sufficiens relinquendi in bona fide, debet instruere et in re gravi, denegare absolutionem, si in sequendo opinionem istam persistat.

De Fide



Plura videantur in tractatu *De Fide*, præsertim quoad necessitatem medii.

Habitus fidei supernaturalis est medium salutis necessarium pro omnibus, tum adultis tum parvulis; nullus enim salvatur sine gratia sanctificante et habitu caritatis, quæ nequeunt adesse sine habitu fidei.

Actus fidei saltem implicitus est medium necessarium pro *adultis omnibus peccatoribus*. "Credere oportet accedentem ad Deum." Hebr. XI, 6. Cf. Trid. VI, 8.

Præceptum est pro *omnibus adultis* etiam justis ut eliciant actum fidei internum, ut constat (1) *ex ipso jure naturæ*, quo audiens revelationem sufficienter propositam, assensum internum præstare tenetur; (2) *ex lege positiva Divina*: *"Qui non crediderit,"* Mc., XVI, 16; *"Et hoc est mandatum ejus ut credamus,"* Joan III, 23; (3) *ex prop. damn.*, 16, *ab Innoc. XI, "Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se."*

In pluribus aliis obligationibus vitæ Christianæ rite adimplendis involvitur necessario actus fidei, v. g. in Sacramentis accipiendis, in Missa audienda. Quamvis præceptum eliciendi actum fidei est distinctum præceptum ratione sui obligans, certe satisfacit ei qui accidentali ista ratione eum ponit.

De frequentia requisita diversæ exstant opiniones. Propter incertitudinem rei et quia actus exercitus sufficit, non sunt turbandi fideles de hoc puncto, neque urgenda ut *obligatoria* etiam morientibus.

De variis opinionibus veterum. Cf. S. Alph., L. II, Tr. I, nn. 5, 6, 7, cum notis P. Gaude. Quoad hodiernos auctores, unanimiter practicas conclusiones jam indicatas amplectuntur. Summatim proponuntur sententiæ, præsupponendo propositionem damnatam ab Innoc. XI (17): "Satis est actum fidei semel in vita elicere."

Per se tenetur (1) qui completum usum rationis attigit et cognovit et advertit ad obligationem accipiendi divinam revelationem; (2) infidelis adultus cui sufficienter proponitur (3) ille qui peccavit fidem negando. *Ita omnes* (4) in articulo mortis ("juxta quosdam, ad proximius tendendum ad Deum," ait *Palmieri*; "Ita communius quamvis, si sæpe alias in vita obligationi satisfecerit, non ita constat de speciali hac obligatione" ait *Lehmkuhl*, allegando Elbel II, n. 27, quod sit communior sententia; "Probabilius in articulo mortis," juxta *Prummer*; "non potest certo probari . . . nisi urgeat tentatio contra fidem," dicit *Noldin*, quod practice ab omnibus admittitur, etsi per accidens tunc possit adesse obligatio, v. g. in casu acatholici cui revelatio probabilis videtur). (5) Sæpius in vita, vel *interdum*, vel *aliquando*. Plures aiunt semel in anno, quidam semel in mense, sed revera nequit determinari; neque ex condemnatis propos. Innoc. XI, colligi potest, quum hæ non distinguant inter actum fidei per se requisitum et ratione alterius obligationis. Omnes admittunt exercitium aliorum actuum religionis sufficere ad adimplendum præceptum.

Per accidens urget obligatio (1) ratione tentationis gravis quæ nequeat aliter superari, (2) ratione obligationis ponendi actum contritionis vel alium actum qui exigat virtualem et implicitum actum fidei.

Præceptum exstat etiam quoad **externam fidei professionem** et hoc duplex est, (1) **negativum**, prohibens denegationem veræ fidei et professionem falsæ. *"Qui negaverit me," etc.* Matt. X, 33, et (2) **affirmativum**, exigens aliquando positivam confessionem fidei,—quatenus caritas erga Deum vel proximum aut religio postulat ut fiat. Jus positivum etiam imponit obligationem profitendi in pluribus occasionibus, v. g. tenentur assumentes beneficia ecclesiastica, consultores diœcesani, professores theologiæ et philosophiæ, promovendi ad subdiaconatum, accipientes facultatem audiendi confessiones vel concionandi, Superiores assumentes officium in religionibus clericalibus, etc. Cf. Can. 1406, 1407, 1408.

"Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, injuriam Dei vel scandalum proximi." C. 1325, §1.

Caritas tum erga Deum tum erga proximum imponit obligationem *numquam negandi* et *aliquando confitendi* fidem. In judicando circa casus particulares, *"an talis actio vel omissio sit æquivalens fidei negatio,"* et *"an talis actio vel omissio sit consentanea cum caritate erga Deum et proximum,"* non solum ipsum objectum sed circumstantiæ pensandæ sunt.

Silentium—*Reticentia* vel *Celatio* ex se non est *negatio*

neque incompossibilis cum caritate; imo in quibusdam circumstantiis caritas exigit eam.

a) *Quum non rogaris,* licet tegere, imo quandoque melius est, ad majus bonum faciendum, ad mala tum corporis tum animæ vitanda.

b) *Quum rogaris a privata persona* ex se non teneris clare respondere. Tamen per accidens teneris, "si ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii ob ejus taciturnitatem averterentur a fide." II, II, q. 3, a. 2. Hinc si rogatur, generatim tenetur, ut Petrus.

c) *Quum rogaris a publica auctoritate,* regulariter non licet negare, nam ordinarie habetur scandalum vel contemptus Dei. Negatio status non est eo ipso negatio fidei, sed talis homo facile alias peccaret.

d) Non peccat contra fidem qui omittit signum crucis post cœnam in loco publico; neque qui ad evitandas molestias hæreticorum frangit legem jejunii in loco hæreticali, aut non revelat suam conversionem parentibus et aliis. Attamen in omnibus his casibus possunt esse circumstantiæ quæ redderent talem celationem peccatum contra fidem, v. g. si provocaretur ad actionem ut cognosceretur utrum esset Catholicus.

Tergiversatio—*Fuga*—non est negatio sed tacita professio fidei.

Attamen quandoque tenetur persona publica ex caritate manere.

Ratio agendi—***Communicatio cum Acatholicis*** in divinis significat illam participationem in cultu acatholico quæ in communi æstimatione involvit negationem fidei. Nam tali consortio datur signum protestativum hæreseos, quatenus persona ita agens implicite declarat se esse membrum sectæ. Hujusmodi declaratio haberetur si quis ageret partes in ipso cultu eorum. *"Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum."* Can. 1258, §1.

Nihilominus non omne consortium cum sectatoribus falsæ religionis, etiam in divinis, absolute et simpliciter prohibetur a lege naturali, quia non semper involvit illam speciem adhæsionis quæ est æquivalens negatio fidei. Sic, v. g.

mera corporalis præsentia in templis, etiam inter functiones, non est in se mala. Hinc per se quandoque licet curiositatis causa visitare, adesse baptismis, matrimoniis, concioni, funeri, civilis obsequii causa; licet famulis ratione famulatus adesse; licet militibus ordinis servandi causa. *"Tolerari potest præsentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque solemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit."* Can. 1258, §2.

Casus

1. Licetne Catholico cantare vel pulsare organum in ecclesia acatholica?

℟. Communior sententia fuit non licere etiam apud nos et adhibitis cautelis, quia involvit activam participationem in cultu falso. Quidam tamen rarissimum casum valde restrictum ut probabiliter licitum admittebant. Est certe explicite prohibitum in Can. 1258, §1, "quovis modo . . . partem habere."

2. Licetne moniali vocare ministrum acatholicum quem petit moriens acatholicus?

℟. Non licet, S. O. 1684; debet se passivam habere, ad summum insinuando eum posse nuntium acatholicum adhibere. Si nequit hoc facere, regulariter non debet etiam dicere ministro "vult loqui tecum," nisi forte in casu aliquo raro. S. O. 1848, 1872, Leo XIII, 26 Dec., 1698. Cf. Lehmkuhl, Cas. 426-431, Genicot, p. 162, V.

3. An liceat gestare emblema Massonicum?

℟. *Signum* (sive sit vestimentum, imago, vel aliud simile) quod nullum alium usum habet quam ut significet adhæsionem falsæ religioni, constituit æquivalentem negationem quando adhibetur isto modo. Multis tamen modis modificari potest hæc propositio, ut videri potest apud *Lugonem*, Disp. XIV, Sec. 5; Laymann, l. II, tr. 1, c. 11, n. 4; Sanchez, l. II, c. 4, n. 20; Mer. Sperer, I, p. 305, juxta quos cum causa gravissima quis posset licite gestare in clypeo vel vexillo ad decipiendum hostem signum Turcarum religiosum. Talis enim usus esset *militaris* non *religiosus*. Non posset gestare in collo.

4. Parochus pauper sine auxilio protestantium qui patrocinantur cœnas suas parochiales non posset parœcialia opera sustentare. An possit vicissim auxilium et favorem ipsis præstare?

℟. Dummodo non adsit scandalum vel periculum pro grege et adjuncta indicent nullam esse approbationem falsæ religionis sed meram compensationem vel signum gratitudinis in dono, licet.

5. Ad cœnam invitatus die Veneris, Paulus ex quadam erubescentia non recusat carnes, quia alii omnes sunt acatholici.

℟. Violat legem abstinentiæ, sed non necessario peccat contra fidem.

6. Missionarius ne agnoscatur ut sacerdos Catholicus omittit usum breviarii, comedit carnes diebus abstinentiæ, induit se vestimentis quæ propria sunt hæreticis vel schismaticis ministris.

℟. Dummodo non vergant hæc in odium fidei vel scandalum, licite potest ob rationes graves ita celare suum sacerdotium et religionem. Vestes non sunt signum protestativum hæresis vel schismatis, nisi sunt *sacræ*, i. e. destinatæ pro functionibus.

N. B. De aliis casibus et resolutionibus SS. CC., cf. Ferreres, I, nn. 292-293.

Sæpe prohibentur ea, quæ in se licita sunt, sive a lege naturali prohibente scandalum vel periculum perversionis, sive a lege positiva, Divina vel Ecclesiastica, vel ab utraque. Ita v. g. Romæ declaratum est (1878) "peccare graviter omnes qui curiositatis causa audiunt conciones hæreticales et materialiter adsunt." Notandæ sunt tamen plures, distinctiones antequam quis applicet leges particulares ad alia loca, tempora et adjuncta diversa.

OBJECTUM FIDEI

Credenda
- **Explicite**
  - **Med.**
    - **Deum existere**
    - **Deum esse Remuneratorem**
    - **Trinitatem et Incarnationem (probabiliter)**
  - **Præc.**
    - **Symbolum Apostolicum**
    - **Sacramenta**
    - **Præcepta Decalogi**
- **Implicite—Omnia revelata quæ ab Ecclesia proposita sunt.**

De mysteriis *Trinitatis et Incarnationis* practicus modus agendi est clarus. *In casu necessitatis* sacramentum est conferendum sine explicito actu, ob probabilitatem; *in alio casu* non conferendum, ob periculum nullitatis.

Præcepta Decalogi certe sub gravi sunt *addiscenda;* probabilius non adest talis obligatio ea explicite *credendi.*

Quid? Virtus inclinans ad expectandum ob divinam fidelitatem et potentiam, æternam beatitudinem et media ad eam.

Necessitas? Virtus utpote inseparabilis a gratia sanctificante est necessaria omnibus necessitate medii.

Actus in adultis requiritur necessitate medii ad justificationem.

Actus est necessarius necessitate præcepti; sed virtualis sufficit, neque datur certitudo de frequentia requisita.

Peccata? Præsumptio (per excessum); Desperatio (per defectum).

Præsumptio, quæ est temeraria fiducia obtinendi beatitudinem mediis non ordinatis a Deo, est peccatum grave ex genere suo, sed ex *modo* inordinationis judicari debet materiæ gravitas. Certe in se grave est, (1) propriis viribus quærere et expectare beatitudinem, ut Pelagiani, (2) ex sola misericordia Dei sine operibus, ut Luther, (3) auxilium expectare ad illicita patranda, (4) sumere misericordiam divinam et spem veniæ ut motivum peccandi.

Non est præsumptio si quis peccat *cum* spe veniæ, si differt conversionem, si non vitat venialia; neque proprie præsumit qui multiplicat peccata, eo quod non est difficilius confiteri plura quam esset confiteri unum.

Desperatio, quæ est diffidentia obtinendi a Deo beatitudinem vel media necessaria, est vel perfecta, vel imperfecta. Desperatio *perfecta* est semper peccatum mortale, nam tali actu homo positive et cum plena deliberatione abdicat vitam æternam ob difficultatem aut impossibilitatem rei. *Imperfecta*, quæ frequentior forma est, est peccatum veniale. Consistit aut in actu imperfecto circa idem objectum, aut in quadam dejectione animi ex immoderato timore propriæ infirmitatis (cf. Noldin n. 49, Pighi, n. 26), quæ non est proprie desperatio.

De Caritate

CARITAS est virtus qua diligimus Deum super omnia seu tamquam summum bonum propter seipsum et proximum propter Deum.

Objecta materialia quibus bona concupiscimus { Deus Ipse, Nosmetipsi, Proximi spe vel re beati.

Objectum formale: Deus ut amicus . . . objectum in se bonum et objectum beatitudinis nostræ. (Ergo non amor solius concupiscentiæ sed benevolentiæ, imo *amicitiæ*, in quo est (1) *amor mutuus benevolentiæ*, (2) *agnitio talis amoris ab utraque parte*, (3) *communicatio quædam*.

Diligimus: i. e. efficax est amor, et non merus affectus.

Super omnia: appreciatio nostra practica est *Dei in primo loco ponendi*.

Gradus intensitatis potius provenit a vivacitate perceptionis quam a deliberata electione voluntatis.

Propter Deum: eadem est ratio, idem motivum; ergo eadem virtus.

Necessitas. *Medii*: Virtus est necessaria omnibus omnino. Actus est necessarius adultis peccatoribus qui non possunt sacramenta recipere.

Præcepti: *per se* est necessaria attingendi plenum usum rationis (cf. tamen Suarez, De Act. Hum., d. 6, s. 1, n. 12).
Aliquando in vita (cf. prop. damn. Innoc. XI, 5 et 6).
probabiliter in articulo mortis;
per accidens, si deest aliud medium se justificandi et urget necessitas.

(De natura, objecto materiali et objecto formali, cf. S. Thom. II, II, q. 23 et seq.; Pesch, VIII, p. 228; Bouquillon, De Virt., Lib. III.)

Erga Deum obligatur homo elicere actum caritatis per se pluries in vita; per accidens urgente necessitate justificationis. De determinata frequentia requisita, nihil pro certo statui potest. (Ball. Palm., 146 sq.; Ojetti, 856.) Super omnia *appretiative* est amandus.

Erga seipsum obligatur homo exercere caritatem circa bona quæ sibi debet, præferendo se aliis. Unde

a) Aeterna salus mea non est exponenda proximo periculo.
b) Obligatio amandi se plus quam alios non impedit quominus quis bonum spirituale herocæ virtutis plus amet quam vitam temporalem.

Erga proximum præcipitur actualis caritas quæ est *affectus verus* et *internus*, etsi generalis. Præcepto divino etiam tenemur externo actu exercere caritatem subveniendo proximo in necessitate. Lex ipsa naturalis præscribit ***ordinem*** servandum in beneficentia præstanda. Duplex est principium hujus ordinis—**Personæ** et **Bona**. De his et de diversis gradibus *necessitatis* nunc est agendum.

Personæ: ***Amore complacentiæ*** præferendi sunt sanctiores, meliores, similiores Deo. ***Amore efficacis benevolentiæ*** præferendi qui magis conjuncti sunt nobis in iis in quibus conjuncti sunt, quia fundatur amicitia in communicatione bonorum. Hinc præferendi sunt

a) in rebus civilibus, concives; in bello, commilitones;
b) in spiritualibus, filii, patres, fratres spirituales;
c) in vita corporali (extra extremæ necessitatis casum), uxor, filii, pater, mater, fratres, sorores, consanguinei, benefactores, amici; in extremis, probabiliter parentes ante omnes.

N. B. Hic ordo servandus est *cæteris paribus*, nam conflictus oriri potest v. g. inter remotissimum **gradum consanguinitatis** et præclarum benefactorem. Præterea ratio habenda est necessitatis et naturæ bonorum.

Bona: (1) *Spiritualia*

(2) *Temporalia* { ***Vitæ*** ; ***Famæ*** ; ***Fortunæ***

Necessitas: (1) *Spirit.*
- *Extrema,* periculum æternæ damnationis.
- *Gravis,* salus valde difficilis sine auxilio.
- *Communis,* salus non valde difficilis sine auxilio.

(2) *Tempor.*
- *Extrema,* periculum mortis vel æquivalens damnum.
- *Gravis,* vita valde molesta.
- *Communis,* vita non nimis molesta.

Ad determinandum quandonam in concreto teneamur ad proximum effective adjuvandum hæc principia tenenda sunt:

I. *Ex caritate non datur obligatio succurrendi proximo cum æquali gravamine nostro, nam primo nobismetipsis est providendum.*

Hinc (1) numquam licet peccare etiam venialiter, ad salvandam animam proximi. Neque licet se exponere ad periculum proximum peccandi ob bonum spirituale proximi, quamvis dari possit casus in quo tenetur quis reddere istam occasionem *remotam.*

(2) Potest quis *omittere* bona propria spiritualia *non necessaria* ad succurrendum proximo; imo *debet* si proximus est in necessitate extrema etiam temporali et quandoque debet, etiam in *gravi.*

II. *In extrema necessitate spirituali proximi tenemur etiam maximum bonum nostrum temporale dimittere.*

Proinde, si sacrificium vitæ meæ temporalis necessarium est ad salvandam animam proximi, teneor cedere vitam. Per accidens sæpe liberatur quis ab hac obligatione, quatenus aut non sit spes certa salvandi, aut alius adsit qui possit succurrere aut gravius malum inde proveniat. (Cf. Palmieri, I, 221, et S. Alph., L. vi, n. 624.)

III. *In extrema necessitate temporali constituto succurrendum est cum gravi incommodo sed non cum gravissimo.*

Non est tamen obligatio adhibendi medium quod involveret damnum extraordinarium. Ipse moriens non tenetur servare vitam suam tali medio.

IV. *Si proximus est in gravi necessitate, succurrendum est cum mediocri vel levi incommodo; si versatur in communi vel levi, ad nihil teneor.*

Dilectio Inimicorum

Præceptum continetur in Matt. V, 43, *"Diligite inimicos,"* et probatur ex eo quod sunt *proximi.*

Negativum: ne odio habeantur.

Positivum: positiva et externa benevolentia est adhibenda pro necessitate. ***Quilibet per se tenetur communia signa præbere, non specialia.*** (Per accidens potest quis ad tempus excusari, eo quod v. g. velit corrigere, exprimere dolorem, vitare rixas. Etiam per accidens potest quis obligari ad specialia danda, v. g. ad evitandum scandalum).

Inimicus est qui injuriam vel offensam intulit et nondum reparavit (per compensationem).

Existit præceptum eos diligendi.

Ex jure naturæ, quatenus sunt membra societatis et imagines Dei. Quædam sunt testimonia paganorum; Socrates, Cicero, De Offic. 1, 25, 88; Seneca, Epict., M. Aurel.

Ex Vet. Test. Lev. 10, 17; Prov. 25; Tobias 4, 16; Job 81, 29.

Ex Nov. Test. "Audistis quia . . . ego dico vobis, diligite." Matt. V, 43, 44.
"Quis est proximus?"
"Dimitte nobis . . . sicut et nos."

Hoc præceptum aliquatenus negativum est, et sic prohibet a) odium erga *ipsum* ut proximum.
b) exclusionem ipsius a generali affectu caritatis quem habere tenemur erga omnes,
c) optare malum ei ut malum, male dicere,
d) vindictam sumere.

Casus

1. Titius dicit se velle ut prædator incarceretur vel occidatur.

℟. Ordinate vult ut *juste* incarceretur. (Occisio est gravior justo nisi sit in damnum commune.)

2. Imprecatur iis qui capiunt ipsum.

℟. Potest esse mera expressio iræ, ut quando parentes erga filios ita excandescunt.

3. Optat mortem heresiarchæ.

℟. Optime potest.

4. Licetne *occidere* vel *vulnerare* quem deprehendit in flagranti delicto?

℟. Non, sed moderate punire.

5. Licetne vocare inimicum coram judice?

℟. Ita, si intentio est ad cohibendum illum, ad emendationem, ad salvandum honorem—ut quando honor violatur in ephemeridibus.

Quatenus est affirmativum jubet solum ut in necessitate subveniamus ipsi.

a. Nullum est positivum præceptum exercendi caritatem erga alios nisi sit aliqua necessitas; per accidens urget obligatio reconciliationis vel actus caritatis. Proinde ad *perfectionem* pertinet *nominatim* orare pro inimico, etc.

"Dilectio inimicorum tripliciter potest considerari: uno quidem modo, ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici; et hoc est perversum et caritati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, sed in universali; et sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis, ut scilicet aliquis, diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; et istud non est de necessitate caritatis absolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate caritatis *secundum præparationem animi,* ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret." S. Theol. II, II, q. 16, a. 8.

b. Debentur per se signa communia dilectionis; per se specialia non debentur.

Signa com., i. e. quæ solemus in similibus adjunctis præbere.

Signa spec., i. e. quæ solemus solis amicis dare.

Omissio potest esse gravis, ex ipso odio et ex scandalo.

Communia signa præstanda (secus non efficax).

1) *Non statim ab injuria illata*: esset nimis durum.

2) *Pater, superior, possunt omittere (non diu) ut læsam dignitatem vel justum dolorem ostendant.*

3) *Duo religiosi per plures dies nolunt ad se invicem loqui vel salutare? Per se peccatum grave.*
(Tamen S. Antoninus tenet non esse obligationem loquendi ante condignam satisfactionem datam).

4) *Salutatio* non debetur nisi personis in dignitate constitutis. E. Si inimicus et ego sumus ejusdem conditionis, non teneor *prius*. (Attamen ex *scandalo* vel ex *consuetudine* potest esse obligatio).

5) *Resalutatio* est signum commune et debitum. Grave est non dare (Suarez V. 8; S. A. II, 18; D'Annib., p. 74, not. 22).

Quoad externas manifestationes, graviter illicitæ sunt actiones vel omissiones, quas homines ordinarie judicarent, spectatis adjunctis, esse odii indicia.

A peccato gravi sæpe excusatur quis vel quia materia seu causa rixæ est levis; tunc enim ordinarie non æstimatur signum odii, vel quia cognoscens circumstantias videt adesse aliam rationem actionis, v. g. desiderium emendandi, timor, hæsitatio, vitatio ulterioris rixæ, vel quia non adest plena deliberatio.

De Correptione Fraterna

Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna caritate procedens. 4 Dist. 19, q. 2, a. 1.

Correptio: admonitio seu revocatio in mentem veritatis et excitatio voluntatis. (Correctio potius significat ipsam emendationem.)

Fraterna: stricte exercetur inter æquales. Huic tamen assimilatur *paterna* (seu a Superiore extrajudicialiter adhibita).

Delictorum: propria materia est *omissio* vel *negligentia*, vel *culpabilis ignorantia* quia supponit aliquam bonam voluntatem generalem. Ea peccata quæ ex certa malitia patrantur, potius ad correptionem judicialem pertinent.

(Potest esse obligatio ex caritate *docendi* eum qui *invincibiliter* ignorat, v. g. ob damnum tertii, ob scandalum).

Fraterna caritate: est motivum principale. Tamen adjungi possunt alia, v. g. justitia legalis.

Præceptum fraternæ correptionis constat:

1. Ex jure naturæ, quatenus generalis lex caritatis obligat ad subveniendum proximo in necessitate sua spirituali, modo convenienti. Sed hic modus sæpe est aptissimus.

2. Ex SS. Eccli. XIX, 14, "Corripe proximum." Matt. XVIII, 5, "Si peccaverit . . . corripe."

3. Ex PP. S. Aug., Ep. 210.

Obligatio est gravis ex genere suo, et in quibusdam casibus materia in se levis evadit gravis ratione finis.

Conditiones requisitæ ut quis obligetur sunt:

1. *Ut certo constet de delicto, aut de proximo periculo.*

Solius *Superioris* est investigare. Facile posset quis committere peccatum contra caritatem in se sumendo partem Inquisitoris Generalis.

2. *Ut sit spes probabilis emendationis.*

Omitti potest et quandoque debet, quando non datur solidum motivum sperandi eam profuturam. *Ignoti* generatim non sunt monendi; attamen in extrema necessitate spirituali omnia tentanda sunt, servata prudentia.

3. *Ut sit necessaria,* quatenus non est alius qui probabiliter monebit, et non est probabile delinquentem se emendaturum.

4. *Ut sine gravi incommodo fieri possit.*

Ne tamen exaggeretur incommodum, præsertim in casu Superiorum erga subditos corrigendos. Hi etiam ex officio tenentur. Non tenentur scrupulosi, vix subditi. Neque religiosi tenentur, quando Superiores cognoscunt.

Modus practicus, a Christo assignatus, est ut fiat (1) secreto, (2) coram testibus, (3) coram Superiore.

Sunt tamen rationes quare aliquando mutari debeat ordo.

N. B. In religiosis communitatibus videntur esse aliquæ speciales difficultates. Tria principia sunt bene tenenda ad solvendos casus—

1. *Bonum Commune* prævalet bono privato.

2. Generalis lex caritatis remanet intacta ita ut si *periculum omne certo deest futuri damni, scandali,* nequeat revelari Superiori.

3. Generatim, quando conditiones verificantur, melior methodus est ut *Superiori* reveletur res.

Casus

I. Confessarius recusat absolutionem alumno collegii qui non consentit ad denunciandum socium corruptorem Superiori.

℟. Recte egit si fuerit periculum gravis damni communis, i. e. corrumpendi plures. Tunc enim inverti debet ordo, ita ut evangelica denunciatio primo habeatur, et pœnitens tenetur etiam cum gravi incommodo subvenire necessitati communi.

Si tamen confessarius prævideat inutilitatem monitionis, debet relinquere pœnitentem in bona fide.

II. Magister Novitiorum ita instruit novitios: "Quia religiosi hujus ordinis renunciant jus suum ad privatam admonitionem juxta ordinem evangelicum prius dandam, quicumque cognoscit peccatum alterius debet illud statim aperire Superiori."

℟. Etsi facta fuerit ista cessio juris, non ita illimitate tenetur vel permittitur quis denunciare.

a) Si est materia apta denunciationis evangelicæ et conditiones adimplentur, potest et generatim debet Superiori revelare, juxta dicta.

b) Si est malitiosum peccatum ex quo imminet periculum damni publici, aut tertiæ partis aut damnum commune, debet.

c) Si *constat* de emendatione, et non existit ulla ex rationibus prædictis, non licet.

De Eleemosynis

Eleemosyna est subsidium temporale proximo in necessitate temporali præstitum.

In genere lex caritatis imponit obligationem aliquam subveniendi efficaciter necessitati proximi. Ex Scripturis et Patribus habentur plures expressiones hujus legis divinæ. Quandonam et quomodo urgeat obligatio pendet ex diverso genere necessitatis et ex superabundantia bonorum qua quis gaudeat.

Necessitas ita dividitur:

1. ***Extrema,*** in qua desunt necessaria vitæ. (Huic æquiparatur *quasi-extrema* seu ea necessitas quæ in communi æstimatione fere æqualis est morti, qualis est perpetua et dura incarceratio, gravissima infamia, amissio membri principalis).

2. ***Gravis***, in qua desunt necessaria status, ut fit quando quis tot amissurus est bona temporalia ut ad notabiliter inferiorem conditionem vitæ reducendus sit.

3. ***Levis*** seu ***Communis***, qua quis ægre quidem sed tolerabiliter potest vivere et retinere suum statum.

Superflua vitæ sunt ea sine quibus quis potest vivere; superflua status sunt ea sine quibus potest vivere pro præsenti conditione.

In necessitate extrema vel quasi-extrema est obligatio gravis dandi etiam ex necessariis statui, i. e. ex superfluis vitæ; dummodo non sit medium extraordinarium aut quod involvat amissionem ipsius status.

Hoc est certum juxta omnes. S. Thomas, II, II, q. 32, a. 5: "Aliqui puniuntur pœna æterna pro omissione eleemosynarum, ut patet Matt. 25. . . . Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, et dare eleesmosynam ei qui est in extrema necessitate." Cf. a. 6, in corp., ubi explicat quomodo *necessaria statui* includat plura, ita ut quis ex iis dare possit quædam et adhuc remanere in isto statu. Implicite dicit quod in casu *extremæ necessitatis* obligatur quis ad dandum ex necessariis priori modo intellectis. Dare illud quod requiritur ad conservandum ipsum statum vitæ esset medium extraordinarium saltem relative, seu esset gravissimum incommodum ad quod caritas non obligat.

In necessitate gravi proximi datur gravis obligatio ei succurrendi de superfluis status.

Est communior et probabilior sententia cum S. Alphonso (certa juxta Arregui), sed non eodem modo explicatur a diversis auctoribus qui eam tenent. Plures eam ita limitant ut iste solus qui *frequenter* denegaret *omne* subsidium graviter peccaret. Ita *Noldin, Genicot, Arregui.* Alii admittunt solum pro gravi necessitate quæ *mox in extremam verti possit.* Ita *Ferreres* et *Pighi.* Tandem D'Annibale vix admittit practice ullam esse obligationem *gravem* subveniendi proximo nisi sit in extrema vel quasi-extrema. Auctores qui severius loquuntur (*S. Alphonsus, Suarez, Lehmkuhl,* etc.) videntur per *gravem* necessitatem sæpe intelligere quasi-extremam.

Est obligatio dandi aliquando eis qui versantur in **communi necessitate,** sed probabiliter non est gravis.

Juxta quosdam est per se gravis obligatio; sed alii negant; proinde practice nequit imponi obligatio sub pœna denegandæ absolutionis.

II. Chirurgus magni nominis, antequam ingrediatur operationem sat difficilem sed quæ necessaria est ad salvandam vitam pauperis quærit an habeat familia ægroti unde solvant pretium ducentorum dollariorum. Negantibus illis, recusat chirurgus opem præstare.

Resp. Non peccat, saltem graviter. Si haberent, ipsi non tenerentur ad solvendam extraordinariam summam neque ad exquisita media adhibenda. Ex altera parte si medicus in singulis talibus casibus obligatur ad operandum gratis, injuste privabitur mercede quæ debetur suæ industriæ et peritiæ.

DE SCANDALO

IIa, IIæ, Q. 43.

I. Scandalum (activum) **est dictum vel factum minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis.** (a. 1).

II. Ita dividitur:

- **Activum** (seu datum) quod inducit alium in peccatum.
  - **Directum**, in quo peccatum immediate intenditur.
    - **Diabolicum**, in quo intenditur præcise ut peccatum.
    - **Simpliciter**, in quo ob aliud motivum intenditur.
  - **Indirectum**, in quo peccatum non immediate intenditur sed prævisum et illicite permissum.
- **Passivum** (seu acceptum), est ipsa ruina spiritualis seu peccatum alterius.
  - **et datum—Pusillorum**, ex infirmitate vel ignorantia accipientium ortum.
  - **et non datum—Pharisaicum**, quod est ex sola malitia peccantis.

III. Scandalum activum est peccatum grave ex genere suo, utpote contra caritatem.

Directum adversatur tum caritati tum alteri virtuti quæ oppugnatur; indirectum probabiliter lædit solam caritatem.

I. *Vi nominis,* "quod græce σκάνδαλον dicitur, nos *offensionem,* vel *ruinam,* vel *impactionem pedis* possumus dicere." S. T., l. c, ex Hieronomo, in Matt. XV.

Realiter et proprie definitur: *Dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.*

Dictum vel factum: non cogitatio, quæ nequit esse obex alteri; bene tamen includitur *omissio* quæ externe innotescere potest.

Minus rectum: comprehenduntur tam illa quæ sunt secundum se *peccata* quam illa quæ habent *speciem mali.* "Ab omni specie mala abstinete vos." I Thess. V, 22.

Præbens occasionem: non perfecte *causans,* nam sola voluntas propria sufficienter causat ruinam spiritualem; sed *alliciens, inducens, imperfecte causans,* i. e. moraliter et partialiter influens et cooperans.

Ruinæ spiritualis: ipsum peccatum proximi; non mera

admiratio vel horror, sed ipsum peccatum, grave vel leve, ut v. g. judicia temeraria, detractiones, etc. Cf. Bucc., n. 419.

II. "Ad quartum dicendum quod dictum vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi: uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamsi ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale quod de sui ratione habet quod sit inductivum ad peccandum; puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati; et tunc ille qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ, unde vocatur *scandalum activum*. Per accidens autem aliquod verbum vel factum unius est alteri causa peccandi, quando et præter intentionem operantis, et præter conditionem operis, aliquis male dispositus ex huiusmodi opera inducitur ad peccandum, puta cum aliquis invidet bonis aliorum; et tunc ille qui facit hujusmodi actum rectum, non dat occasionem quantum in se est; sed alius sumit occasionem, secundum illud ad Rom. 7, 8: *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*. Et ideo hoc est *scandalum passivum* sine activo, quia ille qui recte agit, quantum est de se, non dat occasionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque ergo contingit quod etiam sit simul scandalum activum in uno, et passivum in altero, puta cum ad inductionem unius alius peccat, quandoque vero est scandalum activum sine passivo, puta cum aliquis inducit verbo, vel facto alium ad peccandum, et ille non consentit; quandoque vero est scandalum passivum sine activo, sicut jam dictum est, hic supra." II, II, q. 43, a. 1.

"Scandalum activum potest accipi dupliciter, per se scilicet (directum) et per accidens (indirectum): *per se* quando aliquis suo inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccandum; *per accidens* quidem quando est præter intentionem agentis, ut puta cum aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit dare alteri occasionem ruinæ, sed solum suæ satisfacere voluntati." a. 3.

"Quandoque scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, et hujusmodi est scandalum pusillorum; quandoque ex malitia procedit . . . et hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur." a. 7.

5. Licetne vocare inimicum coram judice?

℟. Ita, si intentio est ad cohibendum illum, ad emendationem, ad salvandum honorem—ut quando honor violatur in ephemeridibus.

Quatenus est affirmativum jubet solum ut in necessitate subveniamus ipsi.

a. Nullum est positivum præceptum exercendi caritatem erga alios nisi sit aliqua necessitas; per accidens urget obligatio reconciliationis vel actus caritatis. Proinde ad *perfectionem* pertinet *nominatim* orare pro inimico, etc.

"Dilectio inimicorum tripliciter potest considerari: uno quidem modo, ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici; et hoc est perversum et caritati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, sed in universali; et sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis, ut scilicet aliquis, diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; et istud non est de necessitate caritatis absolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate caritatis *secundum præparationem animi,* ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret." S. Theol. II, II, q. 16, a. 8.

b. Debentur per se signa communia dilectionis; per se specialia non debentur.

Signa com., i. e. quæ solemus in similibus adjunctis præbere.

Signa spec., i. e. quæ solemus solis amicis dare.

Omissio potest esse gravis, ex ipso odio et ex scandalo.

Communia signa præstanda (secus non efficax).

1) *Non statim ab injuria illata*: esset nimis durum.

2) *Pater, superior, possunt omittere (non diu) ut læsam dignitatem vel justum dolorem ostendant.*

3) *Duo religiosi per plures dies nolunt ad se invicem loqui vel salutare? Per se peccatum grave.*
(Tamen S. Antoninus tenet non esse obligationem loquendi ante condignam satisfactionem datam).

4) *Salutatio* non debetur nisi personis in dignitate constitutis. E. Si inimicus et ego sumus ejusdem conditionis, non teneor *prius*. (Attamen ex *scandalo* vel ex *consuetudine* potest esse obligatio).

5) *Resalutatio* est signum commune et debitum. Grave est non dare (Suarez V. 8; S. A. II, 18; D'Annib., p. 74, not. 22).

Quoad externas manifestationes, graviter illicitæ sunt actiones vel omissiones, quas homines ordinarie judicarent, spectatis adjunctis, esse odii indicia.

A peccato gravi sæpe excusatur quis vel quia materia seu causa rixæ est levis; tunc enim ordinarie non æstimatur signum odii, vel quia cognoscens circumstantias videt adesse aliam rationem actionis, v. g. desiderium emendandi, timor, hæsitatio, vitatio ulterioris rixæ, vel quia non adest plena deliberatio.

De Correptione Fraterna

Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna caritate procedens. 4 Dist. 19, q. 2, a. 1.

Correptio: admonitio seu revocatio in mentem veritatis et excitatio voluntatis. (Correctio potius significat ipsam emendationem.)

Fraterna: stricte exercetur inter æquales. Huic tamen assimilatur *paterna* (seu a Superiore extrajudicialiter adhibita).

Delictorum: propria materia est *omissio* vel *negligentia*, vel *culpabilis ignorantia* quia supponit aliquam bonam voluntatem generalem. Ea peccata quæ ex certa malitia patrantur, potius ad correptionem judicialem pertinent.

(Potest esse obligatio ex caritate *docendi* eum qui *invincibiliter* ignorat, v. g. ob damnum tertii, ob scandalum).

Fraterna caritate: est motivum principale. Tamen adjungi possunt alia, v. g. justitia legalis.

Præceptum fraternæ correptionis constat:

1. Ex jure naturæ, quatenus generalis lex caritatis obligat ad subveniendum proximo in necessitate sua spirituali, modo convenienti. Sed hic modus sæpe est aptissimus.

2. Ex SS. Eccli. XIX, 14, "Corripe proximum." Matt. XVIII, 5, "Si peccaverit . . . corripe."

3. Ex PP. S. Aug., Ep. 210.

Obligatio est gravis ex genere suo, et in quibusdam casibus materia in se levis evadit gravis ratione finis.

Conditiones requisitæ ut quis obligetur sunt:

1. *Ut certo constet de delicto, aut de proximo periculo.*

Solius *Superioris* est investigare. Facile posset quis committere peccatum contra caritatem in se sumendo partem Inquisitoris Generalis.

2. *Ut sit spes probabilis emendationis.*

Omitti potest et quandoque debet, quando non datur solidum motivum sperandi eam profuturam. *Ignoti* generatim non sunt monendi; attamen in extrema necessitate spirituali omnia tentanda sunt, servata prudentia.

3. *Ut sit necessaria,* quatenus non est alius qui probabiliter monebit, et non est probabile delinquentem se emendaturum.

4. *Ut sine gravi incommodo fieri possit.*

Ne tamen exaggeretur incommodum, præsertim in casu Superiorum erga subditos corrigendos. Hi etiam ex officio tenentur. Non tenentur scrupulosi, vix subditi. Neque religiosi tenentur, quando Superiores cognoscunt.

Modus practicus, a Christo assignatus, est ut fiat (1) secreto, (2) coram testibus, (3) coram Superiore.

Sunt tamen rationes quare aliquando mutari debeat ordo.

N. B. In religiosis communitatibus videntur esse aliquæ speciales difficultates. Tria principia sunt bene tenenda ad solvendos casus—

1. *Bonum Commune* prævalet bono privato.

2. Generalis lex caritatis remanet intacta ita ut si *periculum omne certo deest futuri damni, scandali,* nequeat revelari Superiori.

3. Generatim, quando conditiones verificantur, melior methodus est ut *Superiori* reveletur res.

Casus

I. Confessarius recusat absolutionem alumno collegii qui non consentit ad denunciandum socium corruptorem Superiori.

℟. Recte egit si fuerit periculum gravis damni communis, i. e. corrumpendi plures. Tunc enim inverti debet ordo, ita ut evangelica denunciatio primo habeatur, et pœnitens tenetur etiam cum gravi incommodo subvenire necessitati communi.

Si tamen confessarius prævideat inutilitatem monitionis, debet relinquere pœnitentem in bona fide.

II. Magister Novitiorum ita instruit novitios: "Quia religiosi hujus ordinis renunciant jus suum ad privatam admonitionem juxta ordinem evangelicum prius dandam, quicumque cognoscit peccatum alterius debet illud statim aperire Superiori."

℟. Etsi facta fuerit ista cessio juris, non ita illimitate tenetur vel permittitur quis denunciare.

a) Si est materia apta denunciationis evangelicæ et conditiones adimplentur, potest et generatim debet Superiori revelare, juxta dicta.

b) Si est malitiosum peccatum ex quo imminet periculum damni publici, aut tertiæ partis aut damnum commune, debet.

c) Si *constat* de emendatione, et non existit ulla ex rationibus prædictis, non licet.

De Eleemosynis

Eleemosyna est subsidium temporale proximo in necessitate temporali præstitum.

In genere lex caritatis imponit obligationem aliquam subveniendi efficaciter necessitati proximi. Ex Scripturis et Patribus habentur plures expressiones hujus legis divinæ. Quandonam et quomodo urgeat obligatio pendet ex diverso genere necessitatis et ex superabundantia bonorum qua quis gaudeat.

Necessitas ita dividitur:

1. ***Extrema,*** in qua desunt necessaria vitæ. (Huic æquiparatur *quasi-extrema* seu ea necessitas quæ in communi æstimatione fere æqualis est morti, qualis est perpetua et dura incarceratio, gravissima infamia, amissio membri principalis).

2. ***Gravis***, in qua desunt necessaria status, ut fit quando quis tot amissurus est bona temporalia ut ad notabiliter inferiorem conditionem vitæ reducendus sit.

3. ***Levis*** seu ***Communis***, qua quis ægre quidem sed tolerabiliter potest vivere et retinere suum statum.

Superflua vitæ sunt ea sine quibus quis potest vivere; superflua status sunt ea sine quibus potest vivere pro præsenti conditione.

In necessitate extrema vel quasi-extrema est obligatio gravis dandi etiam ex necessariis statui, i. e. ex superfluis vitæ; dummodo non sit medium extraordinarium aut quod involvat amissionem ipsius status.

Hoc est certum juxta omnes. S. Thomas, II, II, q. 32, a. 5: "Aliqui puniuntur pœna æterna pro omissione eleemosynarum, ut patet Matt. 25. . . . Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, et dare eleesmosynam ei qui est in extrema necessitate." Cf. a. 6, in corp., ubi explicat quomodo *necessaria statui* includat plura, ita ut quis ex iis dare possit quædam et adhuc remanere in isto statu. Implicite dicit quod in casu *extremæ necessitatis* obligatur quis ad dandum ex necessariis priori modo intellectis. Dare illud quod requiritur ad conservandum ipsum statum vitæ esset medium extraordinarium saltem relative, seu esset gravissimum incommodum ad quod caritas non obligat.

In necessitate gravi proximi datur gravis obligatio ei succurrendi de superfluis status.

Est communior et probabilior sententia cum S. Alphonso (certa juxta Arregui), sed non eodem modo explicatur a diversis auctoribus qui eam tenent. Plures eam ita limitant ut iste solus qui *frequenter* denegaret *omne* subsidium graviter peccaret. Ita *Noldin, Genicot, Arregui.* Alii admittunt solum pro gravi necessitate quæ *mox in extremam verti possit.* Ita *Ferreres* et *Pighi.* Tandem D'Annibale vix admittit practice ullam esse obligationem *gravem* subveniendi proximo nisi sit in extrema vel quasi-extrema. Auctores qui severius loquuntur (*S. Alphonsus, Suarez, Lehmkuhl,* etc.) videntur per *gravem* necessitatem sæpe intelligere quasi-extremam.

Est obligatio dandi aliquando eis qui versantur in **communi necessitate**, sed probabiliter non est gravis.

Juxta quosdam est per se gravis obligatio; sed alii negant; proinde practice nequit imponi obligatio sub pœna denegandæ absolutionis.

II. Chirurgus magni nominis, antequam ingrediatur operationem sat difficilem sed quæ necessaria est ad salvandam vitam pauperis quærit an habeat familia ægroti unde solvant pretium ducentorum dollariorum. Negantibus illis, recusat chirurgus opem præstare.

Resp. Non peccat, saltem graviter. Si haberent, ipsi non tenerentur ad solvendam extraordinariam summam neque ad exquisita media adhibenda. Ex altera parte si medicus in singulis talibus casibus obligatur ad operandum gratis, injuste privabitur mercede quæ debetur suæ industriæ et peritiæ.

DE SCANDALO

IIa, IIæ, Q. 43.

I. Scandalum (activum) **est dictum vel factum minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis. (a. 1).**

II. Ita dividitur:

- **Activum** (seu datum) quod inducit alium in peccatum.
  - **Directum,** in quo peccatum immediate intenditur.
    - **Diabolicum,** in quo intenditur præcise ut peccatum.
    - **Simpliciter,** in quo ob aliud motivum intenditur.
  - **Indirectum,** in quo peccatum non immediate intenditur sed prævisum et illicite permissum.
- **Passivum** (seu acceptum), est ipsa ruina spiritualis seu peccatum alterius.
  - **et datum—Pusillorum,** ex infirmitate vel ignorantia accipientium ortum.
  - **et non datum—Pharisaicum,** quod est ex sola malitia peccantis.

III. Scandalum activum est peccatum grave ex genere suo, utpote contra caritatem.

Directum adversatur tum caritati tum alteri virtuti quæ oppugnatur; indirectum probabiliter lædit solam caritatem.

I. *Vi nominis,* "quod græce σκάνδαλον dicitur, nos *offensionem,* vel *ruinam,* vel *impactionem pedis* possumus dicere." S. T., l. c, ex Hieronomo, in Matt. XV.

Realiter et proprie definitur: *Dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.*

Dictum vel factum: non cogitatio, quæ nequit esse obex alteri; bene tamen includitur *omissio* quæ externe innotescere potest.

Minus rectum: comprehenduntur tam illa quæ sunt secundum se *peccata* quam illa quæ habent *speciem mali.* "Ab omni specie mala abstinete vos." I Thess. V, 22.

Præbens occasionem: non perfecte *causans,* nam sola voluntas propria sufficienter causat ruinam spiritualem; sed *alliciens, inducens, imperfecte causans,* i. e. moraliter et partialiter influens et cooperans.

Ruinæ spiritualis: ipsum peccatum proximi; non mera

admiratio vel horror, sed ipsum peccatum, grave vel leve, ut v. g. judicia temeraria, detractiones, etc. Cf. Bucc., n. 419.

II. "Ad quartum dicendum quod dictum vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi: uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamsi ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale quod de sui ratione habet quod sit inductivum ad peccandum; puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati; et tunc ille qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ, unde vocatur *scandalum activum*. Per accidens autem aliquod verbum vel factum unius est alteri causa peccandi, quando et præter intentionem operantis, et præter conditionem operis, aliquis male dispositus ex huiusmodi opera inducitur ad peccandum, puta cum aliquis invidet bonis aliorum; et tunc ille qui facit hujusmodi actum rectum, non dat occasionem quantum in se est; sed alius sumit occasionem, secundum illud ad Rom. 7, 8: *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et ideo hoc est *scandalum passivum* sine activo, quia ille qui recte agit, quantum est de se, non dat occasionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque ergo contingit quod etiam sit simul scandalum activum in uno, et passivum in altero, puta cum ad inductionem unius alius peccat, quandoque vero est scandalum activum sine passivo, puta cum aliquis inducit verbo, vel facto alium ad peccandum, et ille non consentit; quandoque vero est scandalum passivum sine activo, sicut jam dictum est, hic supra." II, II, q. 43, a. 1.

"Scandalum activum potest accipi dupliciter, per se scilicet (directum) et per accidens (indirectum): *per se* quando aliquis suo inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccandum; *per accidens* quidem quando est præter intentionem agentis, ut puta cum aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit dare alteri occasionem ruinæ, sed solum suæ satisfacere voluntati." a. 3.

"Quandoque scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, et hujusmodi est scandalum pusillorum; quandoque ex malitia procedit . . . et hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur." a. 7.

III. Ex genere suo est peccatum grave, quia est contra caritatem, et *specialem* malitiam habet, quatenus *contrarie* opponitur correctioni fraternæ. "Væ mundo a scandalis; væ homini illi per quem scandalum venit." Matt. XVIII, 7.

Ut determinetur utrum necne in casu aliquo particulari committatur peccatum scandali indirecti, applicari debent regulæ quæ traduntur de voluntario indirecto. Requiruntur nempe (1) prævisio effectus, (2) potestas vitandi, (3) obligatio vitandi, ut quis sit reus. Hinc qui non advertit ad scandalum aut qui sine incommodo relative magno nequit omittere actum in se licitum, non peccat agendo; si vero actio eius est peccaminosa et prævidet scandalum, effectus iste semper est imputabilis ei.

Tenemur quandoque omittere bona opera, si habent speciem mali qua alii traherentur ad peccandum; sed ad hoc obligamur solum quando facile possumus, præsertim quando ista apparentia potius debetur subjectivæ conditioni aspicientis. Non tenemur ad vitandum *Pharisaicum* scandalum, neque probabiliter scandalum ipsius qui actu paratus est ad peccandum, neque scandalum *pusillorum* si actio nostra est sub præcepto. Imo non licet nobis violare præcepta negativa legis naturalis, neque omittere ea quæ necessaria sunt ad salutem sive propriam sive alienam, neque aliquid facere quod infert grave damnum aliis, præsertim communitati, ad scandalum evitandum. Sunt tamen casus in quo legis naturalis præceptum affirmativum cessat ob majus malum timendum a scandalo. Notari debent sequentia in dijudicando peccato scandali eiusque gravitate:

(1) *Gravitas* peccati mensurari debet ex peccato ad quod alius trahitur.

Ergo per *veniale meum* quo alii inducuntur plures ad levia furta erga eumdem quæ simul grave damnum inferunt —graviter pecco. S. Thom. II, II, 43, 4; S. Alph. III, 537; D'Annib. 90, (11); e contra committo peccatum veniale scandali, si peccato meo gravi induco alium ad leve peccatum.

(2) Est grave scandalum si ducit ad *materiale tantum* vel ad *externum tantum*, quod est grave.

Ergo (1) qui hostiam non consecratam proponit adorandam, vel qui inducit alios ad faciendum quod licitum putant, et (2) qui sollicitat meretricem iam paratam et actu intendentem. S. Alph. II, 47; Sanchez, D. 1, 16, 14; III, 8, 24; D'Annib. 90, (12); 88, (4).

(3) Scandalum directum incurrit reatum, eorum *omnium peccatorum* in quæ ducit, nam immediate terminatur voluntas ad ea.

Ergo tenetur confiteri non tantum peccatum scandali —quod est speciale peccatum contra caritatem (S. Alph. II, 35), sed etiam læsiones aliarum virtutum a scandalizato patratas. (S. Th. 2, 2, 43, 3).

(4) Probabiliter *solam caritatem* lædit qui dat scandalum indirectum.

Ita Lugo (De Pœnit. XVI, 153), Suarez, Layman, contra Sanchez, S. Alph. (II, 44, 45).

Ergo, (a) si exemplo pravo indirecte inducit quis uxorem alienam ad adulterium vel religiosum ad fornicationem, nec justitiam lædit nec religionem;

(b) si exemplo meo duco te ad furandum, committo unicum non duo peccata furti; sed committo etiam peccatum scandali.

(5) Est aliquod relativum attendendum quoad personas in *indirecto*. (a) Si is cui præbetur malum exemplum, est talis virtutis ut non moveatur, non est scandalum.

(b) Si est ita perditissimus ut non egeat exemplo non est scandalum.

(c) Si persona dans indirectum scandalum ita flagitiosus sit, ut nullus moveatur, revera non est scandalum. (Sanchez, D. I, 6, 7; D'Annib. 89, 8.)

Casus Particulares

I. ***De Ornatu et Vestitu Mulierum.***

Licita sunt in hac re quæ tum *fine honesto* tum *modo objective honesto* adhibentur. Circa quæ notandum est (1) *finem honestum* esse ut placeat marito, ut inveniat sponsum, ut celet defectum; *minus honestum*, si ob vanitatem fiat; *graviter inhonestum*, si ad excitandam libidinem. *Modus* ornandi vel vestiendi est aut in se modestus, aut relative ad

hæc adiuncta modestus, vel immodestus et excitativus libidinis ut de se constituat incitamentum ad luxuriam. Cf. S. Alph., n. 55; Noldin, n. 107.

II. Choreæ, spectacula cinematographica et alia, libri, picturæ, imagines, vel quæcumque aliæ res ita compositæ aut propositæ ut ordinarie ducant aspicientes, audientes, vel participantes in proximum periculum peccandi sive contra castitatem sive contra aliam virtutem arguunt auctores, promotores, et alios co-operatores reos peccati scandali.

Facilius et gravius datur scandalum a clerico vel religioso quam ab aliis. Hinc speciales extant leges Ecclesiæ eis proscribentes quosdam ludos, etc. Cf. Decret. S. Cong. Consist., 31 Mart., 1916, et Respons, 10 Dec., 1917, quibus deterrentur a choreis etiam ad pias causas institutis sive adeundis sive ullo modo promovendis.

De Co-operatione

I. ***Co-operatio*** est concursus in actum pravum alterius.

II. ***Formalis*** est participatio in intentione peccantis.

Materialis est participatio in opere peccaminoso quæ consistit in auxilio præstito per actionem non in se peccaminosam et sine volitione peccati.

Immediata est quando terminatur ad ipsum actum peccaminosum sine intermedio effectu.

Mediata est quando influit in opus peccaminosum solum per effectus intermedios.

Proxima est vel ***Remota***, prout intermedii effectus sunt pauci vel multi seu prout magis vel minus intime connectitur cum opere peccaminoso, seu prout eius influxus est notabilis vel levis.

III. ***Nunquam licita est formalis co-operatio.*** Liceitas co-operationis ***materialis*** pendet ex ***proximitate***, et ***necessitate, gravitate rationis*** agendi et ***gravitate peccati*** agentis principalis.

Co-operatio in genere denotat participationem plurium in opere aliquo. In præsenti materia significat actionem quæ inservit actioni peccaminosæ alterius. Differt a scandalo quia potius adiuvat quam incitat ad peccandum. Supponit alium esse jam determinatum ad peccandum.

Speciales Casus

Formalis co-operatio: a) Conficere vel vendere vel dare instrumentum ad impediendam generationem.

b) Ædificare templa idolorum (S. O. 1851).

c) Scribere, edere, publicare, vendere, tradere legendos libros prorsus obscœnos.

Materialis quæ requirit gravissimam causam: a) Imprimentes libros prorsus pravos. (Ex gravissima et ad breve tempus: ita Bucc., Noldin). b) Ut uxor reddat debitum marito qui utitur involucro ad impediendam generationem. c) Vendere idola quæ prævidentur certo adhibenda ut obiecta cultus. d) Subjicere humeros domino ascendenti ad stuprandum. e) Vendens aliquid proxime connexum cum peccato quando certo cognoscitur ementem abusurum.

Materialis quæ requirit valde gravem causam. a) Vendens aliquid proxime connexum cum peccato, si ignoratur intentio abutendi. b) Pingere imaginem amasiæ ex petitione amasii. c) Vendere pharmacum quod vendens ex adjunctis certus est ementem adhibiturum esse ad abortum. d) Locare domum meritrici quando nocivum erit aut magnam dabit ansam peccandi.

Materialis quæ requirit gravissimam causam: a) dona et epistolas amatorias deferre meretrici, b) templa hæreticorum ædificare, c) dare vinum ebrians his qui prævidentur se inebriaturi, d) architectis, etc., ædificare templa hæreticorum.

DE RELIGIONE

quæ in tribus prioribus Decalogi Mandatis præcipitur

II, II, QQ. 81-100

Religio est virtus moralis qua cultum debitum Deo præstamus. IIa IIæ, Q. 81, aa. 1, 2, 3.

Moralis, quia actus religionis non directe attingunt ipsum *Deum* ut objectum *quod* seu materiam sed ut objectum vel finem *cui* cultus affertur. Actus directe versatur circa *media* quæ ducunt in finem ultimum. Est hæc virtus pars potentialis justitiæ, et medium etiam admittit, ut inferius explicabitur. Q. 81, a. 5.

Cultus, i. e. *reverentiæ, honoris vel submissionis actus,* sive internus sive externus, quo agnoscimus superiorem excellentiam alterius. Cultus singularis Deo debitus dicitur *latria,* sed religio includit actus reverentiæ exhibitos aliis ob intimum nexum quem habent cum Deo, et excellentiam eorum supernaturalem. " § 1. Sanctissimæ Trinitati, singulis ejusdem Personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus, debetur cultus *latriæ;* Beatæ Virgini Mariæ cultus *hyperduliæ;* aliis cum Christo in cœlis regnantibus cultus *duliæ.* § 2. Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur relativus personæ ad quam reliquiæ imaginesque referuntur." C. 1255. Dividitur etiam cultus in *publicum* et *privatum.* "Cultus si deferatur nomine Ecclesiæ a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiæ institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos, dicitur *publicus;* sin minus, *privatus.*" C. 1256.

Debitus. Virtus *justitiæ* inclinat ad reddendum proximo *quod debetur, ad æqualitatem.* Hæc virtus habet partes potentiales, quæ sunt aliæ virtutes similes sed deficientes (sive ex eo quod non inclinant ad debitum reddendum, sive quia non ad æqualitatem servandam). Ita *Religio* inclinat ad cultum Deo debitum reddendum, sed non ad æqualitatem, quod fieri nequit.

Forte objicies inde sequi Religionem non esse virtutem moralem, quia cum nequeat ad æqualitatem cultum reddere,

nequit esse cultus superfluus; et proinde non consistit in *medio* tribuendo. Optime respondet S. Thomas, II, II, q. 81, a. 5, ad 3:

"Ad *tertium* dicendum, quod religio non est virtus theologica, neque intellectualis, sed moralis, cum sit pars justitiæ, et medium in ipsa accipiatur non quidem inter passiones, sed secundam quamdam æqualitatem inter operationes quæ sunt ad Deum. Dico autem *æqualitatem* non absolute, quia Deo non potest tantum exhiberi, quantum ei debetur; sed secundum quamdam considerationem humanæ facultatis, et divinæ acceptationis. Superfluum autem in his quæ ad divinum cultum pertinent, esse potest, non secundum circumstantiam quanti, sed secundum alias circumstantias; puta quia cultus divinus exhibetur cui non debet exhiberi, vel quando non debet, vel secundum alias circumstantias, prout non debet."

Actus Religionis eliciti sunt Devotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Votum, Juramentum, Adjuratio, Invocatio.

Peccata contra religionem continentur sub (a) *Superstitione* qua excessivus cultus exhibetur aut modo indebito, (i. e. vel falso vel superfluo), aut rei indebitæ (per idololatriam, divinationem, vanam observantiam, magiam, maleficium) et (b) *Irreligiositate*, qua per defectum indebitus est cultus ut in tentatione Dei, sacrilegio, simonia, perjuria.

De præcipuis ex his virtutibus et vitiis agetur sub titulis sequentibus, remissis aliis ad alios tractatus.

DEVOTIO

II, II, Q. 82

Essentia devotionis consistit in *"voluntate quadam prompte se tradendi ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum."*

Voluntas prompta, i. e. actus interior voluntatis.

Se tradendi, i. e. devovendi, totaliter subjiciendi.

Ad Dei famulatum, seu ad servitium divinum quod consistit in debito cultu exhibendo. Est ergo actus religionis.

Suarez indicat (II, 6, 17) distinctionem inter devotionem hanc substantialem et aliam *accidentalem* quæ oritur

ex habitu voluntatis quo facile ponantur actus. Cf. *Vermeersch,* De Oratione, n. 13.

Causa extrinseca et principalis est Deus; intrinseca est meditatio et contemplatio.

Effectus devotionis est quædam animi *lætitia, gustus,* vel *suavitas* quæ in corpus etiam redundare potest. Quamvis connaturaliter sequitur devotionem (a. 4), potest etiam ex præveniente gratia Spiritus Sancti præcedere actum deliberatum voluntatis, sicut etiam potest impediri sive ex ordinatione divina sive ex indispositione corporali.

ORATIO

II, II, Q. 83

Natura orationis vix melius exprimi potest quam in definitione Damasceni: *Oratio est ascensus mentis in Deum, decentium petitio a Deo.* (De Fide Orthodoxa, III, 24. M. G. XCIV, 1090.)

Genus enim est *elevatio mentis* seu accessus mentalis quo sistimus nos coram Ipso. Differentia est *petitio decentium.* Est actus rationis practicæ, quia per istam expositionem desiderii nostri causamus aliquid, uti accidit in casu imperii. "Considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, quod velis, quod desideras, postulare." S. Chrysost. (Cf. II, II, Q. 83, a. 2.) Pulchre exponit S. Thomas (*l. c.* a. 17,) quomodo in omni oratione, etiam in gratiarum actione, inveniatur petitio ista saltem virtualis. (Cf. Vermeersch, *De Orat. n.* 9.)

Necessitas orationis ex pluribus locis SS. ostenditur, v. g. Matt. VII, 7, *Petite et accipietis;* Marc. XIV, 38, *Vigilate et orate;* Luc. XVIII, 1, *Oportet semper orare et non deficere;* Joan XVI, 24, in quibus præceptum frequenter orandi imponitur omnibus adultis. II, II, Q. 83, a. 3, ad 9. Multi præterea theologi agnoscunt etiam necessitatem quamdam medii, quatenus juxta ordinariam legem Divinæ Providentiæ plerisque necessaria sit. Cf. Suarez I, 28; Lehmkuhl I, 338, 340; Vermeersch, nn. 11, 17.

ADORATIO

II, II, Q. 84

Adoratio est honor alteri exhibitus **tamquam signum** subjectionis propriæ ob excellentiam ipsius.

Honor: testificatio excellentiæ, (quæ **exhiberi potest erga** superiorem, æqualem, subditum).

Signum exhibitum: manifestatio externa quæ **habetur** in adoratione contradistinguit eam a cultu **interno qui est** altera species cultus.

Subjectionis propriæ, i. e. submissionis **seu inferioritatis** adorantis quoad excellentiam aliquam.

Actus adorationis complectitur (a) *actum rationis speculativæ,* i. e. adesse istam superioritatem **in altero,** (b) *actum rationis practicæ,* i. e. dandum esse **signum externum** in testimonium superioritatis relativæ, (c) *actum voluntatis* decernentis manifestationem, (d) *externam executionem.*

Dividitur sicut cultus (qui est genus) :

I. in *Latriam, Hyperduliam, Duliam, Civilem,* **prout** excellentia propter quam nos subjicimus est *supernaturalis divina, supereminens supernaturalis creata, supernaturalis simpliciter, naturalis.*

II. in *Absolutam* et *Relativam,* **prout excellentia** *intrinseca* vel *extrinseca* sit objecto quod **adoratur.**

III. in *Publicam* vel *Privatam,* **juxta requisita pro** cultu publico vel privato. C. 1256.

SUPERSTITIO

Superstitio—"est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet vel eo modo quo non debet." II, II, Q. 92, a. 1.

De se est grave, cum sit contra religionem.

Cultus falsus quoad modum—Colere Deum cærimoniis Judaicis abrogatis, ritu hæretico, falsis reliquiis, revelationibus, miraculis—sunt *ex genere suo gravia peccata.*

Cultus superfluus quoad modum, ut v. g. sine fundamento tribuere specialem efficaciam quibusdam circumstan-

tiis, etsi *ex se* etiam serio derogaret honori divino, sæpius tamen rudes excusantur a mortali ratione simplicitatis, ignorantiæ, parvitatis materiæ, dummodo non sit serium scandalum, contemptus, prohibitio.

N. B. 1) Prudentia adhibenda est in his eradicandis. "*Vis, imus* et *colligimus zizania? Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.*" Matt. XIII, 28-29.

2) Exstirpandæ sunt divulgatæ pagellæ ad lucrum sparsæ.

3) "Ubi non apparent manifesta indicia malitiæ alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est." II, II, Q. 60, a. 4.

Idololatria

II, II, Q. 94

Idololatria est actio qua cultus soli Deo debitus creaturæ tribuitur.

"Est species superstitionis quia est protestatio quædam infidelitatis per exteriora signa." Quod sit peccatum gravissimum patet ex eo quod "quantum in se est, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum." *a.* 3. "Præsupponit interiorem infidelitatem et adjicit exterius indebitum cultum; aut si fides interna maneat, additur culpa falsitatis. . . . Includit magnam blasphemiam, in quantum Deo subtrahitur dominii singularitas." *Ibid* Dividitur in

1) *Mere materialem,* seu inculpabilem, ex ignorantia invincibili;

2) *Formalem,* seu culpabilem, quæ est

a) *Perfecta,* qua quis ex animo putat idolum esse verum Deum et ex animo adorat, sed laborat ex ignorantia vincibili.

b) *Imperfecta,* qua bene cognoscit idolum non esse Deum, sed ex animo adorat. (Cf. II, II, Q. 94, a. 2.)

c) *Simulata,* qua interne neque credit neque adorat, sed consentit ad actum externum adorationis exhibendum.

Divinatio

II, II, Q. 95

Divinatio est inquisitio futurorum ope dœmonis.

Quod sit peccatum, clarum est ex SS. (v. g. Deut. 18, 2) et ex deordinatione ejus, quæ consistit in usurpanda prærogativa divina. "Si quis hujusmodi futura prænuntiare aut prænoscere quocumque modo præsumpserit, nisi Deo revelante, manifesto usurpat sibi quod Dei est. . . . Tunc solum dicitur divinare quando sibi indebito modo usurpat prænuntiationem futurorum eventuum. Hoc autem constat esse peccatum." a. 1.

Quod sit ***superstitio*** ex eo patet quia colitur dœmon, aut invocando ejus auxilium aut illud adhibendo. "Omnis divinatio ex operatione dæmonum provenit, vel quia expresse dæmones invocantur ad futura manifestanda, vel quia dæmones ingerunt se variis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate. . . . Hujusmodi divinatio pertinet ad cultum dæmonum in quantum aliquis utitur quodam pacto tacito vel expresso cum dæmonibus." a. 2.

Si instituitur quæstio de specialibus formis divinationis, invenietur singulas esse illicitas. Sive per astrologiam, sive per somnia, auguria vel alia media inepta quis quærit cognitionem eventuum futurorum contingentium, ipso suo actu *implicitum pactum* init cum dæmone et præbet ei occasionem se ingerendi.

Divinatio est ex toto genere suo mortale. Tamen in concreto sæpe deficit ab ista malitia ob ignorantiam vel inadvertentiam.

Vana Observantia

II, II, Q. 96

Vana Observantia est superstitio quæ media nec naturaliter proportionata nec a Deo instituta adhibet ad certum effectum obtinendum.

Eadem malitia invenitur hic ac in divinatione. Nam sive *arte notoria, arte sanatoria* vel *observantia eventuum* quis utatur, init implicitum pactum cum dæmone, si serio expectet auxilium.

"Utitur quibusdam ad scientiam [idem de sanitate vel alio effectu] acquirendam quæ non habent secundum se virtutem causandi scientiam. Igitur non utitur his ut causis sed ut signis; non autem ut signis divinitus institutis, sicut sunt sacramentalia signa. Unde relinquitur quod sint supervacua signa et per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata." a. 1.

"In iis quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est utrum naturaliter *videantur posse* tales effectus causare. . . . Si naturaliter non videantur posse tales effectus causare. . . . pertinent ad pacta cum dæmone inita." a. 2.

Vana observantia est ex toto genere suo peccatum mortale; sed inadvertentia ad pactum implicitum sæpe reddit veniale.

Permiscentur divinatio et vana observantia ***in modernis formis superstitionis.*** Quum vero idem essentiale vitium utrique speciei subjaceat, non adeo difficilis erit formulatio principiorum quibus judicari debeant recentiora hæc systemata.

I. Dummodo (a) nulla sit expressa appellatio ad interventum præternaturalem, et (b) simul adsit solida probabilitas naturalis efficaciæ causæ adhibitæ ad effectum quæsitum, *in se* non est illicitum suscipere insolita experimenta, eisque assistere.

Verificatis enim duabus conditionibus supradictis, non necessario habetur invocatio dæmonum. Nihilominus etiam in his casibus, pro mensura *periculi* interventus diabolici, consulenda est *protestatio,* evitandum est scandalum, et cavendum ab aliis periculis vetitis sive quoad *valetudinem* sive quoad *virtutem.*

II. Deficiente utrovis ex præjactis conditionibus prorsus illicitus evadit usus cujuslibet medii ad cognitionem vel effectum alium obtinendum. Coincideret enim tunc casus cum superstitionibus jam rejectis.

Cohærenter ad hæc principia loquuntur tum SS. CC. tum theologi; hoc tamen discrimine, quod Responsa CC. sunt ad casus particulares, theologi vero in classes conantur re-

ducere phenomena. Nil mirum igitur si inter theologos inveniantur diversitates opinionum; quæ fundantur in diversitate relationum circa *facta*, eorumque *coordinationem*. Juxta quosdam enim quædam facta certo superant vires naturales; juxta alios eadem facta admittunt probabilem explicationem naturalem. Iterum, juxta alios, aliqua species exhibet hæc vel illa phenomena; juxta alios, nunquam eveniunt hujusmodi effectus in ista arte.

Hypnotismus, a voce ὕπνος —somnum, est *ars qua aliquis alterum reddit paratum ad sequendas suas suggestiones per inductionem peculiaris cujusdam status somnolentiæ.*

A state of mental absorption in which all distracting thoughts are for the moment warded off and only such thoughts as are suggested by the hypnotist reach the consciousness of the patient. . . . The essence of hypnotism is the concentration of mind on one idea or only a few ideas dictated by the hypnotist. Walsh; *Psychotherapy*, p. 152.

Inter phenomena quæ dicuntur comitari hunc statum, enumerantur quædam mirabilia, ut cognitio rerum occultarum, linguarum alienarum, secretorum cordis; clara visio eorum etiam quæ fiunt ex remotissima distantia; curationes subitaneæ et prorsus inexplicabiles morborum latentium.

Multi medici hodierni negant tales effectus unquam occurrere in hypnosi. Cf. Walsh, *op. c., pp.* 152-158. Cf. etiam American Eccles. Rev., *Vol. XXXIII*, 1905.

Quidam theologi, ut *Ballerini*, *Franco*, etc., damnant omnem usum hypnotismi ut quid superstitiosum et diabolicum, vel quia per hæc phenomena diabolus se intermiscet, producendo effectus quosdam præternaturales, vel quia etiam simpliciores effectus qui possunt forte causalitati naturali tribui ansam præbent dæmoni, vel ob ipsum conatum adhibitum obtinendi mirabiles effectus.

Juxta omnes theologos, esset peccatum mortale habere ullam partem in isto hypnotismo qui patraret effectus præternaturales jam descriptos.

Plures sunt theologi recentiores qui tenent esse probabile, si non moraliter certum, dari quamdam formam hypnotismi simplicioris cujus effectus proveniunt ex causis naturalibus, atque adesse circumstantias in quibus usus ejus sit

licitus. Ita Antonelli, D'Annibale, Ferreres, Lehmkuhl, Genicot, Bucceroni, Noldin, Sabetti-Barrett, Prummer, etc., quamvis non omnes concordarent de præcisa linea divisionis inter utramque classem phænomenorum. Admittunt hi auctores sæpissime existere rationes extrinsecas quæ reddant praxim illicitam. Idem fatentur plures medici. (De his periculis, cf. Walsh, op. cit., p. 161.)

Practice igitur si quæritur de liceitate, sequentes normæ adhibendæ sunt.

I. Numquam licet ullam partem habere in hypnotismo qui effectus præternaturales certo quærit aut admittit (quales certo sunt supra recensciti sub hoc nomine) sive explicite sive non hypnotizator fateatur præternaturalem causalitatem.

II. Numquam licet, etiam secluso interventu diabolico se exponere periculo admittendæ virtutis, sanitatis, imo usus rationis, sine ratione relative gravi. Et certe hujusmodi pericula adsunt in adhibendo hypnotismo, nisi plurimæ serventur cautelæ.

III. Servatis omnibus prædictis cautelis, licitus est usus hypnotismi:

Consonant omnia decreta SS. CC. de usu magnetismi et hypnotismi, quorum præcipua sunt:

1. *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita invocatione dæmonis, merus actus adhibendi media physica, aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum, ad res aut effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita, et hæreticalis.* S. U. I., 23 June, 1840.

2. *Demum eadem ad omnes Episcopos, monuit, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phœnomenis magneticis; quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis, ac seducendis hominibus student neoterici plures; rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte, vel præstigio, præsertim ope muliercularum, quæ unice a magnetizatoris nutu pendent: eosque damnavit, qui in somnambulismo et clara intuitione, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa ausu temerario excercere præsumunt.* S. U. I., 4 Aug., 1856.

3. *"Beatissime Pater,*

"N. N. Doctor in arte medicinali, ad pedes S. V. provolutus, ut tranquillitati conscientiæ suæ consulat, humiliter petit utrum partem habere possit in disputationibus quæ apud Societatem Scientiarum Medicinalium N. nunc habentur de hypnoticis suggestionibus in curandis pueris infirmis. Agitur non modo de discutiendis experimentis jam factis sed de novis faciendis, sive naturalem explicationem admittant, sive non. Quare ne sese exponat periculo errandi, orator docili animo S. Sedis oraculum expectat." Hunc casum italice propositum C. S. Inquisit. ita solvit die 26 *Julii* 1899:

"Quoad experimenta jam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali; et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis et partes theologi non agat. Quoad nova experimenta, si agatur de factis, quæ certo naturæ vires prætergrediantur, non licere; si vero de hoc dubitetur, præmissa protestatione nullam partem velle in factis præternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali."

Spiritismus, qui est *evocatio spirituum vel animarum defunctorum,* est antiquissima superstitio, sed in moderna sua forma ortum habuit in nostra regione. (Cf. Catholic Encyclopedia sub voce *Spiritism.*)

In hac re duplex idem dubium proponi potest, i. e. an mirabilia quæ narrantur (v. g. responsa de præterritis, præsentibus et futuris) de facto dentur sine interposita fraude, et 2°, an admittant explicationem naturalem.

Quoad hæc, certum est sæpius immisceri fraudes. Non tam certum est abesse præternaturalem interventum. Quidquid sit de his, certissimum est hanc formam esse prorsus illicitam, nam continet ex professo invocationem medii extramundani.

His principiis et factis innixi, theologi unanimiter dicunt omnem cooperationem cum talibus esse prohibitam. Imo quidam dixerunt meram assistentiam passivam esse contra legem divinam. Nuperrime, ob nova pericula exorta in Anglia et alibi, Sanctum Officium strictissime reprobat quamcumque communicationem cum spiritisticis conventibus.

1. *Titius excludens omnem pactum cum maligno spiritu solet evocare animas defunctorum. Ita agere consuetus est. Solus nec aliud agens orationem ad principem cœlestis militiæ dirigit ut ipsi permittatur necessitudo cum spiritu ipsius personæ determinatæ. Pauca transeunt momenta et advertit quod manus quam paratam ad scribendum tenet, incipiat se movere, et ita fit conscius præsentiæ spiritus. Omnia quæ scire vult, manifestantur, et manus responsa ad quæsita scribit. Hæc responsa cum fide et doctrina Ecclesiæ circa vitam futuram concordant. Ut plurimum responsa concernunt statum animæ defunctæ, necessitatem qua laborat suffragiorum, dolorem ipsius ex ingratitudine consanguineorum ortum.*

Huic casui S. Offic. 30 Martii 1898 respondit; *"Ut exponitur non licere." Responsum adprobavit Leo XIII.*

2. *In plenario conventu habito ab Emis ac Rmis Dnis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito dubio:*

"An liceat per Medium, ut vocant, vel sine Medio, adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis præseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle." Iidem Emi ac Rmi Patres respondendum decreverunt; "Negative in omnibus."

Et Feria v, die 26 ejusdem mensis, Ssmus D. N. D. Benedictus Div. Prov. PP. XV relatam sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit.

Datum Romæ, ex ædibus Sancti Officii, die 27 Aprilis 1917.

Juxta easdem omnino normas judicandum est de modificationibus diversis hypnotismi.

Fortune-telling: (1) One who *with serious intent of acquiring knowledge of hidden or future things* consults a professional fortune-teller, commits a grave sin.

(2) One who without any credence

does so, very easily commits a grave sin of *scandal* or *co-operation.*

(3) One who without any serious purpose, indulges in recreation of this kind commits no sin thereby, if he is on his guard against *scandalum pusillorum,* and there be no consultation of professional fortune-tellers.

Table moving—Table rapping, etc. Putting aside as grievously sinful (1) the case of expressed or implied co-operation with preternatural influence; (2) the case of co-operation with one who does explicitly or implicitly claim such influence; (3) the case of scandal (etiam pusillorum), it is not wrong in itself (1) to test the workings of a semi-conscious influence, or to look for other natural explanation of phenomena, which may be connected with such operations; (2) to use it causa joci.

IRRELIGIOSITAS

qua diminuitur cultus debitus

Tentatio Dei

II, II, Q. 97

I. Quid? **Inordinata exploratio verbo vel facto alicujus divinæ perfectionis.**

II. Quotuplex? **1) Formalis, seu expressa, quæ ex infidelitate procedit;**
2) Interpretativa, seu implicita, quæ ex præsumptione oritur.

III. Quale? **Prior semper est mortale contra religionem; Posterior potest esse veniale.**

I. **Inordinata:** ad excludendum eos casus in quibus ex laudabili motivo (utilitatis vel necessitatis) aut ex speciali inspiratione fit verbum vel factum.

Divinæ perfectionis: Sapientiæ, Potentiæ, vel cujuslibet attributi.

Verbo vel facto: orando vel agendo.

II. **Expressa:** Generatim oritur ex infidelitate sed potest a levitate, curiositate v. g. petendo miraculum in dubio de fide.

N. B. Petere miraculum ob utilitatem non est peccatum. Peccat qui sine inspiratione in prædicando promittit absolute.

Implicita: aliquid dicit vel facit quod suapte natura importat logice explorationem istam. Committitur hoc peccatum ab eo qui sine justa causa negligit media ordinaria, ex solo Deo expectans extraordinarium auxilium, v. g. Christian Scientists, vel jejunans ultra vires et expectans Dei auxilium. Si sine respectu ad Deum, peccat contra 5um præcept.—non contra religionem.

Sacrilegium

II, II, Q. 99

I. Quid? **Violatio rei sacræ, quatenus irreverens tractatio directe opponatur ipsi sanctitati rei.**

II. Quotuplex? **Triplex, specie distinctum, personale, locale, reale; triplici enim huic objecto triplex diversa sanctitas tribuitur.**

III. Quale? **Ex genere suo grave; deesse tamen potest gravis et specialis irreverentia vel quia materia ipsa est levis vel quia communis est omni peccato.**

I. Sicut tentatio Dei, perjuria, blasphemia, auferunt reverentiam directe debitam *ipsi Deo*, ita alterum genus irreligiositatis lædit reverentiam debitam *rebus sacris* et ita indirecte hæc peccata inhonorant Deum. Sunt *Sacrilegium* et *Simonia*. De priori agitur.

Res Sacra: aliquid dicatum cultui divino.

aliquid—sive persona sive aliud.

dicatum—segregatum per *publicum* ritum ad Dei cultum. Non sufficit simplex benedictio *invocativa* sed requiritur *constitutiva* qua fit *res sacra*, ut *candelæ, aqua benedicta*.

N. B. Inspicienda est intentio Ecclesiæ benedicentis ad cognoscendum in quonam actu vel usu sit sacrilegium.

Generatim tenent AA. *voti privati* violationem non esse sacrilegium. Certe est peccatum contra Religionem. Si est castitatis votum, duplex est malitia.

Violatio: "Sacrilegus dicitur eo quod sacra legit—i. e. furatur."

"Ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum, et sic ei quædam reverentia debetur quæ refertur in Deum."

"Violatio hic large dicitur quæcumque irreverentia vel inhonoratio. Quantum est *in ipso* rem sacram violat, licet illa in se non violetur." Q. 99, a. 1.

N. B. Ut habeatur *sacrilegium,* violatio seu injuria debet cadere in eam formalitatem *sacri* in objecto. Hinc non est sacrilegium calumniare sacerdotem, sed sacrilegium est illatio *realis injuriæ.* C. 119.

Personale

II. Persona dedicata cultui divino gaudet peculiari quadam sanctitate quatenus tam immediate conjungitur Deo in cultu præstando. *"Non propter locum gentem sed propter gentem locum Deus elegit."* II Machab., 5, 19. In nova dispensatione gens ista electa constituitur ex *clericis* et *religiosis.* Determinatio *elementi sacri* colligitur ex publica agnitione ecclesiæ. Committitur peccatum sacrilegii personalis,

1°. *Violando privilegium canonis,* quæ violatio consistit in *injuria reali* clericis inferenda. (C. 119). Religiosi utriusque sexus, etiam laici et novitii hoc privilegio gaudent (C. 614).

2°. *Luxuriose agendo cum persona obstricta publico voto castitatis.* Ipsa persona ita obstricta etiam committeret sacrilegium peccando contra castitatem sive externe sive interne. Communius aiunt privatum votum (extra religionem) non sub pœna *sacrilegii* obligare sed *perfidiæ* vel alicujus innominati peccati irreligiositatis.

3°. *Violando privilegium fori.* C. 120, 123, 2341; C. Balt. III, n. 84; S. O. 23 Jan. 1886; Pii X, 19 Oct., 1911.

Locale

"Sanctitas loci ordinatur ad sanctitatem hominis qui in loco sacro cultum Deo exhibet." (II, II, Q. 99, a. 3, in corp.). Specifice diversum est igitur peccatum sacrilegii localis, sed et ipsa diversitatem graduum accidentalium admittit "secundum differentiam locorum sacrorum."

Loca sacra ea sunt quæ divino cultui fideliumve sepulturæ deputantur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc præscribunt." (C. 1154.)

In specie, loca sacra sunt *Ecclesiæ,* i. e. ædes sacra divino cultui dedicata ei præsertim fini ut inserviat Christifidelibus in genere ad publicum cultum (C. 1161); *Oratoria consecrata vel benedicta* (quæ benedictio nequit dari ora-

toriis domesticis), (C. 1196); *Cœmeteria consecrata vel benedicta* (C. 1205, et sqq.).

Peccata sacrilegii localis committuntur, 1°, *violando* locum sacrum, i. e. homicidio, injuriosa et gravi sanguinis effusione, impiis vel sordibus usibus, sepultura infidelibus vel excommunicati condemnati vel declarati (C. 1172); 2°, *agendo contra immunitatem* (C. 1179), vel *sanctitatem* loci sacri (C. 1178 et 1207). Notandum tamen est peccatum externum debere probabiliter esse consummatum ad incurrendum reatum sacrilegii; peccatum vero internum solius desiderii hunc reatum induere. Sed neque necesse est ut in ipsa ecclesia eliciatur desiderium ut sacrilegiosum fiat. De furto, etsi "sacrum de sacro, sacrum de non sacro, non sacrum de sacro" furari sit sacrilegium, probabiliter non est furari quod casu ibi est. Usus ecclesiæ pro representationibus cinematographicis aliisque projectionibus prohibetur. A. A. S. IV, p. 724.

Reale

"Similiter etiam et tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur; quorum præcipuum est Eucharistiæ sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia. Post sacramenta autem secundum locum tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem et ipsæ imagines sacræ et reliquiæ sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ sanctorum venerantur et dehonorantur; deinde ea quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ et ministrorum; deinde ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive sint mobilia sive immobilia." II, II, Q. 99, a. 3.

Præter sacrilegam confectionem vel administrationem sacramentorum, notandi sunt sequentes casus exemplares irreverentiæ sacrilegæ:

I°. Usus paramentorum sacrorum. Custodiantur, sicut omnis supellex sacra, in tuto et decenti loco, nec ad usus profanos adhibeantur. (C. 1296.) Remanent sacra donec amiserint benedictionem vel consecrationem, quod fit

quando aut *"tales læsiones vel mutationes subierint ut pristinam amiserint formam, et jam ad suos usus non habeantur idonea,"* aut *"ad usus indecoros adhibita vel publicæ venditioni exposita fuerint."* C. 1305, § 1-2.

2°. ***Tactus vasorum sacrorum.***

"1. Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallæ et corporalia, quæ adhibita fuere in sacrificio Missæ, tangantur, nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent.

2. Purificatoria, pallæ et corporalia, in Missæ Sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clerico in majoribus ordinibus constituto." C. 1306.

3. Ex se est peccatum grave sed admittens parvitatem materiæ. Leve esset v. g. si laicus tangeret vasum sacrum quod non actu continet Sanctissimam Eucharistiam; si res furata non sit magni valoris, si actio minus decens non sit serio mala vel scandalosa.

Simonia

II, II, Q. 100

I. Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum.

II. Præter divisionem in Simoniam juris divini et juris ecclesiastici, dispescitur in Mentalem, Conventionalem, Realem, quibus accedit Confidentialis.

III. Simonia est species Sacrilegii: Quatenus est juris divini est peccatum grave ex toto genere suo; quatenus est juris ecclesiastici admittit parvitatem materiæ.

IV. Pœnæ: Circa Sacramenta, suspicio de hæresi; circa beneficia, etc., excommunicatio.

I. ***Studiosa voluntas:*** i. e. deliberata intentio. Proinde peccatum hoc committi potest actu interno et sine pacto, sed non sine voluntate pacti saltem virtualis. II, II, Q. 100, a. 1, ad. 2.

Emendi vel vendendi: i. e. efformandi quamcumque permutationem bonorum, ita ut qualibet conventione committi possit. C. 728.

Pretium, seu ***res temporalis:*** quidquid affert utilitatem temporalem.

a) *a manu*:—res mobilis vel immobilis,—etiam jus.

b) *a lingua*:—laudes, preces, patrocinium, etc.

c) *ab obsequio*:—officium temporale, v. g. famulatus. (II, II, Q. 100, a. 5.)

Spirituale vel spirituali adnexum.

Illud quod emitur vel venditur vel permutatur vel in qualibet conventione constituit objectum pretii temporalis late accepti (C. 728), cadit sub aliquo numero sequentis catalogi:

1. ***Res intrinsece spirituales***, v. g. Sacramenta, ecclesiastica jurisdictio, consecratio, indulgentiæ.

2. ***Res temporalis ita annexa rei spirituali, ut res ista temporalis sine spirituali nullo modo esse possit,*** v. g. beneficium ecclesiasticum. Q. 100, a. 4.

Quia hujusmodi res temporalis (*reddítus*) necessario præsupponit rem spiritualem (*officium ecclesiasticum*) uti subjectum cui accedat, dicitur esse *consequenter adnexa* rei spirituali.

3. ***Res temporalis quæ præsupponitur ut subjectum cui annectitur aliquid spirituale v. g. calix consecratus.*** (Dicebatur talis res temporalis *antecedenter adnexa,* sed minus proprie, quum potius spirituale adnexum sit temporali in hoc casu.) Q. 100, a. 4, in corp.

4. ***Res temporalis quæ concomitanter se habet ad rem spiritualem,*** ut labor adnexus functioni sacræ.

Cf. II, II, Q. 100, a. 1. C. 726, 727, 728, 730.

II. **Simonia Juris Divini**: 1) si objectum permutationis sit intrinsece spirituale, ita ut strictissime sit permutatio rei spiritualis et temporalis; v. g. *pretium solvere pro ordinatione.*

2) si res temporalis quæ pro pretio temporali permutatur sit *consequenter* annexa rei spirituali.

3) si objectum spirituale sit etiam *partiale* objectum pro pretio temporali, quod accideret v. g. relate ad consecrationem in venditione calicis consecrati. C. 727, § 1.

Juris Ecclesiastici: si merces qui vocatur spiritualis talis sit ob intimum nexum cum re spirituali et ut talis habeatur ab Ecclesia prohibente hujusmodi permutationem ob periculum et speciem simoniæ, v. g. *vendere Rosaria benedicta, Ecclesiastica beneficia permutare.* Ecclesia enim sua lege protegit virtutem religionis in his quæ a lege divina non prohibentur. *"Dare vero res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiæ erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur, est simonia juris Ecclesiastici."* C. 727, § 2.

Utraque Simonia solet ab auctoribus ita dividi:

Mentalis: si deest pactus.

Conventionalis: si adest pactus sed nondum executioni mandatus.

Pura: si ex neutra parte executioni mandatus.

Mixta: si ex una parte executioni mandatus.

Realis: si ex utraque parte saltem inchoate executioni mandatus est pactus.

Confidentialis: solum circa beneficia, in quo casu conferens obligat recipientem pacto fiduciario ad aliquid (sive ad solvendam pensionem sive ad resignandum in favorem conferentis, vel alterius designati a conferente).

Evidens est peccatum hoc committi etiam sola *mentali simonia.* In jure ad *Simoniam simpliciter dictam* requiritur et sufficit *aliqua manifestatio saltem circumstantialis animi simoniaci.* "Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio, etc., late accipiendæ sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur." C. 728.

III. Grave peccatum est irreligiositatis. II, II, Q. 100, a. 1. Si est *juris divini,* non admittit parvitatem materiæ. Suarez, *De Simonia,* c. 3, nn. 2, 5; Croix, *Theol. Mor.,* lib. III, p. 1, n. 198; Ojetti, Auct., *etc.* Si est *juris ecclesiastici* admittit parvitatem juxta S. Alph., n. 50.

IV. *Pœnæ* contra simoniacos explicantur in canonibus 2371, 2392; II, II, Q. 100, a. 6.

Qui per simoniam scienter promoverint vel promoti fuerint ad ordines, aut alia sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de hæresi; clerici incurrunt suspensionem Apostolicæ Sedi reservatam. C. 2371.

Perpetrantes delictum simoniæ in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis incurrunt in excommunicationem latæ sententiæ Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam; ipso facto privantur jure eligendi, nominandi, præsentandi; si clerici sunt, suspenduntur. C. 2392.

Alii effectus simoniæ sunt illi qui exponuntur in C. 729, de nullitate contractus simoniaci; in 1465, de nullitate præsentationis labe simoniaca infectæ; in C. 185, de nullitate renunciationis simoniace factæ.

N. B. Abrogavit Pius X irritationem electionis simoniacæ Romani Pontificis a Julio II statutam.

Constit. *Vacante Sede Apostolica*, 25 *Dec.*, 1904, *c. VI.*

Concil. Balt. II:

a) *Sacerdos* accipere potest quod libere offertur in administratione *Baptismi* et *Matrimonii;* sed non debet petere aliquid. (n. 221). Cf. C. 736 et C. 1507.

b) *Confessarius* prohibetur quominus (juxta monitum Ritualis Romani) pœnitentias pecuniarias sibi applicet vel a pœnitentibus quidquam tamquam ministerii sui præmium petat vel accipiat. "Etiam ultro quocumque nomine oblata recusent; nec vel ipsam Missæ eleemosynam in hoc sacro tribunali offerri sinant." (n. 289).

c) *Pauperes* gratis sepeliantur, sed pro jure exclusivo loci in cœmetario, pretium solvi potest. (n. 393). Cf. C. 1235.

d) Videtur reprobanda praxis quæ videtur speciem præseferre exigendi fixam summam ad fores ecclesiæ ut fideles ingredi possint.

Concil. Balt. III:

Praxis pecuniam exigendi ad fores ecclesiæ ut quis possit missæ interesse eliminanda est. Constituatur spatium liberum pro pauperibus, ubi sine exhonoratione missam audire possint.

Delegatus Apostolicus (29 Sept., 1911) eamdem praxim per litteras condemnavit. (Cf. C. 1181: "Ingressus in Ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine").

Casus

1. In ludo sacerdos spondet laico missam pro exitu ludi, et laicus exponit pretium temporale.

℟. Per se non simonia—nulla comparatio. Ferreres *n.* 379.

2. Sacerdos innodatur debito $100 et remittit dicendo 100 missas pro creditori.

℟. Nulla simonia.

3. Inserviens Episcopo et intendens primario obtentionem beneficii ex gratitudine Episcopi.

℟. Nulla simonia—Episcopus potest ex gratitudine concedere. Et ille potest quærere ut ex gratitudine concedat.

4. Licet dare sacram reliquiam puero ut studiis incumbat; licet munusculum dare ut audiat missam; quia in his nulla est commutatio.

5. Licet dare beneficium ex gratitudine; licet fungi munere v. g. Secretarii, ita ut ex gratitudine conferatur beneficium; quia in his intervenit aliud motivum.

6. Licet emere vel vendere rem temporalem antecedenter annexam rei spirituali, v. g. calicem consecratam, nisi adsit specialis prohibitio, ut in rebus quibusdam fit. "Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed ejus occasione ex justo titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito; item cum datur res temporalis pro re temporali quæ tamquam subjectum habeat adnexum aliquid spirituale ex. gr., calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem." C. 730. Cfr. Ferreres 381-2.

7. Licet abire functiones spirituales principaliter ob stipendium (prob.) B.P. II., 465, Ojetti.

8. Licet pecunia se redimere ab injusta vexatione circa beneficia aut aliud spirituale. Suarez, *c.* 50, *n.* 1, *sq.*, Ojetti.

9. "Pro Missis celebrandis in altari privilegiato, nequit, sub obtentu privilegii, major exigi Missæ eleemosyna." C. 918, § 2.

10. De ingressu in Religionem. Cf. Ferreres, n. 378, q. 5.

Blasphemia

II, II, Q. 13

I. Quid? Locutio contumeliosa contra Deum.

II. Divisiones

Directa—inhonoratio Dei formaliter intenditur. a. 1, ad 1.

Indirecta—inhonoratio Dei formaliter non intenditur, sed continetur in eo quod deliberate profertur.

Immediata—cujus objectum explicitum est ipse Deus.

Mediata—cujus objectum explicitum non est ipse Deus, sed aliquid sanctum ut tale. a. 1, ad 2.

Hæreticalis—contra fidem vel contra fidei professionem.

Imprecativa—exsecrans Deum.

Simplex—meram contumeliam continens.

III. Malitia: Quælibet deliberata est mortale.

Ad determinandum utrum in concreto sit peccatum blasphemiæ, considerari debent:

1°. Ipsa expressio; 2°. Communis æstimatio; 3°. Adjuncta; 4°. Intentio proferentis.

I. **Blasphemia** est peccatum quo derogatur alicui excellentiæ divinæ, negando Deo aliquod bonum quod ei convenit.

Juxta S. Thomam opponitur confessioni fidei, quatenus exterius signum dat hujus negationis. Semper habetur declaratio saltem virtualis practice negans hoc esse conveniens Deo.

Auctores moderni magis urgent rationem malevolentiæ, quatenus contumeliam et convicium infert peccator in injuriam Creatoris. Ergo est primario peccatum irreligiositatis juxta illos.

S. Thomas admittit illud etiam contineri elementum, i. e. voluntatem detestandi et impediendi pro posse divinum honorem, (*a.* 1, *ad* 1), sed vocat *perfectam.*

Proinde, juxta Angelicum, *blasphemia* in forma sua simplicissima et radicali (quæ ab aliis vocatur *blasphemia indirecta et simplex,* excludens tum explicitam voluntatem

contumeliæ, tum imprecationem) est assertum hæreticale. Induit rationem irreligiositatis quando hæc alia malitia accedit.

Hinc radix primæ divisionis in *directam* qua explicite terminatur voluntas ad dehonorationem Dei et *indirectam* qua dehonoratio solum virtualiter et implicite, sed explicite objectum dehonorativum intenditur.

Gravitas dijudicari debet ex ejus oppositione ad caritatem. Ex toto genere suo est peccatum grave (a. 2). Admittit tamen veniale ex imperfectione actus. (ad 3.)

Peccatum hoc est maximum quia continet in se gravitatem infidelitatis, aggravatur per detestationem voluntatis et adhuc magis aggravatur si prorumpat in verba. (a. 3 in corp.)

Locutio—Etiam signis, v. g. expuendo in cælum. Sed quum aliqui dicant esse diversum peccatum irreligiositatis, non incurrerentur pœnæ.

Contumeliosa—Continens convicia, injurias, contemptum.

In Deum: sive versatur circa ipsum Deum, vel aliquid speciali modo connexum cum Deo, ut Sancti, Sacramenta ut talia sumpta. Imo quævis creatura dummodo ob hanc connexionem dehonoratur, potest esse objectum immediatum.

II. *Vah, qui destruis templum Dei*—direct. immed.
Vere Deus est justus—ironice—direct. immed.
Velit Deus, nolit, hoc faciam—direct. immed. simplex.
Pereat Deus—direct. immed. exsecrat.
Deus est insipiens—direct. immed. hæret.

III. Quamvis diversi modi non immutant speciem, tamen sæpe addi possunt alia peccata, v. g. in hæreticali, *hæresis;* in imprecativa, *scandalum,* etc.

Materialis fit blasphemia quando ex defectu advertentiæ profertur, quando consuetudo regionis in illo sensu non interpretatur, quando v. g. in theatrica repræsentatione fit.

Votum

II, II, Q. 88

Can. 1307—1315

Definitio: Votum est promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore. C. 1307, § 1.

Unde constat duo esse elementa essentialia voti, *intentionem* et *materiam* aptam.

(*Intentio*)

Promissio est *actus quo quis ligat se ex fidelitate ad aliquid alteri præstandum.* Differt a proposito, quod est præsens voluntas futuræ actionis, quia huic addit fundamentum cur alius præstet fidem quoad adimpletionem rei propositæ. Violatio propositi non est peccatum in se.

Deliberata: est enim votum actus humanus quo homo voluntarie se ligat. "Promissio procedit ex proposito faciendi. Propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ." Q. 88, a. 1, in corp.

Viget aliqua disputatio de præciso gradu deliberationis requisitæ. Quidam dicunt illam sufficere quæ sufficit ad peccatum mortale; alii tenent susceptionem talis positivæ obligationis exigere aliquam majorem cognitionem circumstantiarum earumque ponderationem. Omnes videntur esse concordes quoad has consequentias practicas: 1°, *non valet votum a semi-conscio vel semi-ebrio emissum;* 2°, *dubium positivum de sufficientia deliberationis est causa prorsus sufficiens pro dispensatione vel irritatione. Præterea cum lex dubia non obligat, juxta principia probabilismi, liberatur talis vovens in foro interno.*

Libera: talem enim obligationem nequit homo sibi imponere nisi actu quo est dominus sui. Quidquid igitur aufert usum arbitrii, sive sit passio, sive metus, sive ignorantia vel error, obstat etiam validitati voti ex jure naturæ.

Jus positivum etiam statuit pro quibusdam adjunctis nullitatem voti emissi cum diminuta libertate. Ita Ecclesia agit in casu voti extorti metu gravi et injusto, ut patet ex can. 1307, § 3; *"votum metu gravi et injusto emissum ipso jure nullum est."*

Error circa ipsam substantiam rei omne votum invalidat; item si versatur circa accidentia quæ talis momenti sunt ut dicantur pertinere ad substantiam, vel si versatur circa causam finalem et vere motivam. Vota tamen religiosa valent nisi error sit de ipsa substantia. Lugo, *De Jure et Just. t.* 2, *disp.* 22, *lect.* 6, *n.* 88.

(*Materia*)

Bonum possibile: ad impossibile (etsi moraliter tantum) nemo potest se obligare. Hinc invalidum esset votum numquam peccandi. Si res promissa est possibilis quoad partem tantum, videndum est quid intenderit vovens. Si non constat utrum intentio ejus fuerit ad totum aut nihil an potius ad eam partem quam posset exsequi, videndum est an ipsa *res promissa* sit divisibilis necne. Unde persona conjugata quæ vovit castitatem tenetur ad non petendum debitum. Qui vero peregrinationem Romanam vovit non tenetur illam partem suscipere quam potest.

Bonum melius: i. e. cujus oppositum vel contradictorium non est tam bonum et utile ac res promissa. Hinc vota de rebus prorsus indifferentibus, vanis, inutilibus, non valent. Idem a fortiori dicatur de iis quæ obstarent conciliis evangelicis.

Divisio. Votum *publicum* illud est quod nomine ecclesiæ a legitimo Superiore Ecclesiastico acceptatur. Omne aliud votum est *privatum.*

Votum *solemne* vocatur illud quod uti tale ab Ecclesia agnoscitur; *simplex* quod non ita reputatur.

Votum *reservatum* canonico sensu dicit votum cujus dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest juxta canones.

Personale est cujus objectum est actio voventis; *reale* quo promittitur res; *mixtum,* includens utrumque. C. 1308.

Obligatio: Ad observandum votum tenetur vovens ex virtute religionis (C. 1307, § 1), cujus infima species observanda in hac re est *fidelitas erga Deum.* Quamvis de se obligatio hæc sit gravis, admittit parvitatem materiæ. Sive igitur tota materia promissa sit levis, sive transgressio sit quoad levem tantum partem veniale erit peccatum contra

votum. Præterea utpote *lex privata*, votum obligat sub levi tantum quando isto solo vinculo voluit vovens se ligare.

"Votum non obligat ratione sui nisi emittentem." C. 1310, § 1. Ratio est quia "obligatio voti ex *propria* voluntate et intentione causatur." Q. 88, a. 3, ad 3. Hinc filius cujus parentes eum voverunt ad statum religiosum, non tenetur *vi istius* voti (ratione sui) suscipere vitam religiosam. Potest obligari ratione alterius vinculi, v. g. eo quod per promissionem exsequendi voluntatem parentum libere suscepit aliquam obligationem. Tale votum non est *invalidum;* nam tenentur voventes adhibere media licita ad procurandum adimplementum ab altero rei promissæ. Quamvis votum a communitate factum, ratione sui obligat solum emittentes, aliæ possunt accedere causæ obligantes posteros ad impletionem operis promissi, v. g. auctoritas ecclesiastica, consuetudo, fidelitas. (*Cf.* Kirchberg, *De Voti Natura, p.* 76, 77.)

"Voti realis obligatio transit ad hæredes, item obligatio voti mixti pro parte qua realis est." C. 1310, § 2. In hoc differt votum reale a personali, quod reale *potest* impleri per alium. Hinc alius potest solvere pro ipso vovente, etiam inscio vovente dummodo postea rati habeat. Hæredes tenentur ad solvenda vota realia, quia acceptando hæreditatem acceptant onera realia. Solutio hæc fieri debet post debita ex justitia, sed ante pia legata. Eadem principia applicanda sunt votis mixtis. Si reale in iis sit aliquod accessorium, ad nihil tenentur hæredes. Cf. Sporer, c. 2, 135.

Cessatio voti fit diversis iis modis qui enumerantur in C. 1311 ex tribus causis intrinsecis et ex tribus causis extrinsecis, scilicet:

1. ***Lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi.*** Intentio voventis potest esse (a) ad obligandum se perpetuo, v. g. ad recitandum rosarium quotidie sine determinatione quoad cessationem temporis, vel (b) ut obliget se ad aliquid faciendum intra tempus definitum, ut v g. securius urgeat impletionem istius ad quod vult se obligari omnino; ita dicitur præfinire tempus ad *urgendam obligationem,* vel (c) ita obligare se ad faciendum aliquid intra tempus statutum ut, elapso tempore, non maneat obligatus. Tunc apponit tempus ad finiendam obligationem. Quum vero tota obli-

gatio debet mensurari ex intentione voventis, evidens est *ipsam obligationem* cessare in hoc ultimo casu, elapso tempore, sive adimpleverit votum sive non.

Casus: Jacobus vovet se auditurum missam ut obtineat felicem exitum futuri examinis, et ne obliviscatur, promittit se crastina die auditurum Elapso tempore examinis, an tenetur ad missam audiendam? ***R.*** Non tenetur. Tenebatur tamen usque ad examinis diem inclusive.

2. ***Mutatione substantiali materiæ promissæ.*** Constat enim neminem teneri ad impossibile. Sed materia ita substantialiter mutata, impletio voti evadit impossibilis.

3. ***Deficiente conditione a qua votum pendet aut ejusdem causa finali.***

Casus: Ex desiderio addendi novum actum religionis, præcepto ecclesiæ, vovet quis jejunium in vigilia Omnium Sanctorum. Quum in diem dominicam cadat, quid? Cf. Auct., n. 232-4, et Ferreres 413-6. ***R.*** Liberatur ab obligatione.

4. ***Irritatione*** qua intelligitur *annullatio vel suspensio facta ab eo cujus potestati subest voluntas voventis vel materia voti.*

Irritatio *directa* ea est quæ cadit immediate in voluntatem. Prorsus extinguit votum, ita ut numquam reviviscat. Hæc potestas exercetur ab iis solum qui dominativam habent potestatem, ut sunt v. g. *parentes* respectu filiorum impuberum, superiores religiosi relate ad vota subditorum, exceptis votis religiosis et voto transeundi (Cf. Ojetti de Professione). Semper quidem valide exercent, sed illicite nisi adsit justa causa. C. 1312, § 1.

Indirecte irritat qui potestatem habet in *materiam* voti, sed non in voluntatem. Exemplum est potestas domini in famuli votum. Limitatur hæc irritatio ad mensuram præjudicii quam adimplementum afferret. Potius suspenditur obligatio quam extinguitur. C. 1312, § 2.

5. ***Dispensatione,*** quæ est *absoluta condonatio nomine Dei a legitimo superiore facta.*

Dicitur *absoluta condonatio* seu *relaxatio* quia est exer-

citium jurisdictionis; *nomine Dei*, quia agit superior ut *delegatus* Dei. Ob hanc rationem requiritur *justa causa* ad validitatem et liceitatem hujusmodi dispensationis. Invalida est dispensatio data in dubio de existentia causæ, vel in bona fide, causa non existente. E contra cum bonum commune requirat aliquod munimen contra errores et scrupulos, valida et licita erit dispensatio concessa existente causa, sive in dubio de sufficientia sive bona fide sine sufficientia.

Legitimus superior ecclesiasticus qui dispensat est imprimis ***Romanus Pontifex***, cujus ordinaria potestas se extendit ad quæcumque vota omnium fidelium, etiam in solemnibus ordinis et religionis. Nequit tamen absolvere voventem ab obligatione exsurgente in utilitatem tertii et acceptata, sine hujus consensu, nisi occurrit ratio boni communis ob quam cogi possit tertius, (*Cf. Suarez, VI, l.* 6, 15, *n.* 7), aut nisi emissum fuerit principaliter et primario in honorem Dei et annexa promissio sit gratuita. (Ita Sanchez, Salmant, S. Alphonsus, *probabiliter*.

In jure conceditur ***Episcopis Ordinariis*** potestas dispensandi super omnia vota subditorum et peregrinorum non reservata Apostolicæ Sedi, dummodo sit justa causa et non lædatur jus aliis quæsitum. Eadem potestas ordinaria competit superioribus religionis exemptæ quoad personas enumeratas in C. 514, § 1. Præterea delegari possunt alii ab Apostolica Sede cum eadem potestate dispensandi. C. 1313.

Reservata Sedi Apostolicæ sunt, 1°, *vota publica*, i. e., nomine Ecclesiæ a legitimo Superiore Ecclesiastico acceptata; 2°, *votum privatum "perfectæ ac perpetuæ castitatis, et votum ingrediendi in religionem votorum solemnium, quæ emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum."* C. 1309.

6. ***Commutatione***, i. e. substitutione alicujus operis loco promissi.

Exceptis reservatis, vota commutari possunt in opus melius aut æquale ab ipso vovente. Qui habet potestatem dispensandi potest idem opus voto promissum commutare in opus etiam *minus bonum*. C. 1314.

Illud melius vel æquale non tam ad objectivam excellentiam rei quam ad utilitatem spiritualem voventis, refertur.

Antiquiores theologi disputabant an commutatio in opus æquale propria auctoritate voventis fieri posset. Plures ex iis qui negabant, admittebant probabilitatem sententiæ, nunc certæ, ex eo quod præsumatur Deus æque acceptare opus æquale quum æqualis sit Gloria Dei, major utilitas voventis saltem ex hilaritate majori qua agit. Ad vitandum periculum hallucinationis adhuc consulendus videtur confessarius.

Requiritur causa aliqua ad commutandum in opus *minus bonum,* sed minor quam ad dispensationem. Imo probabiliter talis commutatio *valida* est sine causa concessa. Ipsa propensio personæ est sufficiens causa pro commutatione in bonum æquale vel majus. S. Alph., n. 244, 245.

Licet redire ad primum opus, qualiscumque fuerit commutatio. Nulla tamen est obligatio, si secundum fiat impossible, etiam culpa voventis, quia prior obligatio dissoluta est.

In C. 1315 legimus: *"Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit."* Ipso jure proinde, independenter ab intentione voventis suspenduntur antecedentia vota omnia, sed reviviscunt quando a religione discedit. Non impedit hæc dispositio juris quominus quis commutet et ita prorsus extinguat ista vota sua professione, aut quominus prælatus ea directe irritet.

Juramentum

1. Juramentum est invocatio nominis divini in testem veritatis. Ad validitatem requiritur (1) Intentio et (2) Expressio quædam externa; ad liceitatem, (1)Veritas, (2) Judicium, (3) Justitia. C. 1316, § 1.

II. Præter requisita communia omni juramento assertorio, habetur peculiaris obligatio (etiam religionis) in juramento faciendi aliquid. Metus gravis non invalidat tale juramentum.

III. Desinit obligatio jurisjurandi promissorii iisdem fere modis ac votum. C. 1319, C. 1320. Est etiam stricte interpretandum. C. 1321.

I. Moralis debilitas loquentis et promittentis in quibusdam adjunctis obstat quominus plena fides concedatur dictis. Testimonium ejus eget confirmatione quæ sæpe ex aliis testibus et sponsoribus quæritur. Summe verax est Deus. Plenissima confirmatio haberetur si Ipse loqueretur, sed quamvis non liceat talem interventum miraculosum expectare, omnino licet sub debitis conditionibus *invocare re-*

verenter Ipsum ut testem et sic honorem ei tribuere agnoscendo divinam veracitatem.

Talis invocatio efficaciter auget credibilitatem testimonii humani; nam qui ita appellat Deum ut testem, ligat se novo vinculo *religionis* ad *vera dicenda* et ad *statuta exsequenda.*

Plures hæretici, negantes liceitatem juramenti, contra SS., PP., definitiones Ecclesiæ, et rationem agunt. Cf. Prummer *II, p.* 356. "In hoc ipso quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis et cognitio universalis et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Exhibere autem reverentiam Deo, pertinet ad religionem." II, II, q. 89, a. 4.

Pluribus modis juramentum fieri potest *illicitum.* Ut in hac re peccata vitentur necesse est servare conditiones a propheta positas: "Jurabis: vivit Dominus, in **veritate** et in **judicio** et in **justitia.**" Jerem. IV, 2. Similiter *Codex "Jusjurandum. . . . præstari nequit nisi in veritate, in judicio et in justitia."* C. 1316, § 1.

In Veritate. In omni juramento invocatur Deus ut testis veracitatis. Jurans enim assertum suum aut circa præteritum vel præsens factum, aut circa mentem præsentem de actione futura ponenda confirmat interpellatione divinæ veracitatis.

Jurare sine veritate est semper mortale.

Quod verum est etiamsi sit mendacium parvum in materia levi; gravis enim est irreverentia. Cf. Prop. 24, damnata ab Innoc. XI. Sed licet uti restrictione non pure mentali.

Casus: (1) Unica via salvandi amicum meum ab injusta condemnatione quam cognosco esse injustam, est juramentum falsum, v. g. testificando me vidisse ipsum ea occasione tali loco. ***R.*** *Esset perjuria.* Cf. Elbel I, p. 550.

(2) Titius invite cogitur testimonium dare contra amicum. Quamvis pro certo cognoscit eum esse reum, ut dubium sibi testificatur illud. ***R.*** Titius mortaliter peccat.

(3) Jocando quis confirmat mendacium juramento. ***R.*** Mortaliter peccat si serio juramentum profert.

(4) Induco alium ad proferendum juramentum

quod pro ipso erit materialiter tantum falsum, sed quod ego cognosco non esse verum? *R.* Pecco mortaliter.

(5) Juro cum animo non implendi in materia levi. *R.* Est grave peccatum, nam falso juro de mente præsenti.

In Judicio: Quum sit res seria, invocatio Dei nequit sine aliqua ratione gravi licite interponi. Reverentia exigit ut prudenter et discrete juretur. Attamen carentia hujus conditionis non est nisi *leve peccatum ex se.* Non statim damnandi sunt peccati mortalis qui habitum contraxerint leviter jurandi. Res est tamen plena periculis. Hinc monita Christi et Sanctorum, "Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa." Ecclesi 23, 9. S. Aug. Serm. 30. Elbel. I, p. 550.

In Justitia. Objectum juramenti potest esse res aut *licita* (i. e. justa) aut *illicita* seu inhonesta. In quantum Deus invocatur ut testis veracitatis in declarando peccatum præteritum vel præsens, habetur aliqua irreverentia nisi adsit causa justa, sed non est gravis, nisi juramentum adhibeatur ut medium ulterioris malitiæ.

Casus: Ut inducat mulierem ad peccandum Titius jurat se illam ducturum uxorem. *R.* Peccat mortaliter.

Disputant auctores an sit *grave* peccatum jurare se peccatum *leve* commissurum. Multi negant, ut *Suarez, Sanchez, Sporer, Bonacina.* Alii ut *Elbel* affirmant (p. 549). Juxta omnes, est *grave* juramentum proferre de *gravi* committendo.

II. **Juramentum de futura actione ponenda,** qua juramentum est, inducit duplicem obligationem. *Primo* enim obligatur jurans ad *veracitatem* circa præsentem intentionem, sicut in omni juramento; sed *præterea,* incumbit obligatio *exsequendi* id quod statuit et confirmat jurejurando. Prior obligatio est sub gravi in omni materia; sed probabiliter altera obligatio admittit parvitatem materiæ. *Cf.* S. Alph., *Sess. Dub. IV,* La Croix. *"Qui libere jurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod jurejurando firmaverit."* C. 1317, § 1.

Firma manet hæc obligatio etiamsi juramentum extortum fuerit per injustum metum. Ita communis fere sententia antiqua sed nunc certa ex C. 1317, § 2. *"Jusjuran-*

dum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore Ecclesiastico relaxari potest."

"In juramento quod quis coactus facit, duplex est obligatio; una quidem qua obligatur *homini,* cui aliquid promittit; et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio qua quis *Deo* obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit; et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit; vel prælato denunciare, non obstante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra justitiam publicam." II, II, Q. 98, a. 3, ad. 3.

Sunt casus in quibus renunciationes habentur invalidæ vel rescindibiles a lege, ut in exemplis uxorum et impuberum. Accedente vero juramento, talis renuntiatio firmitatem acquirit. Ita Laymann, *l. c.* "Renunciatio hæreditatis paternæ facta a filio vel filia v. g. nuptui tradenda, irrita est, nisi juramento firmata sit, *c. quamvis, de pactis, in* 6, ubi ratio additur, quia omne juramentum servari debet, si nec vi nec dolo præstitum sit, nec vergat in dispendium salutis æternæ, aut tertii præjudicium." Iisdem fere verbis Codex: *"Jusjurandum nec vi nec dolo præstitum quo quis privato bono aut favori renunciat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis æternæ."* C. 1317, § 3.

Inter axiomata juris habetur quod juramentum adjectum promissioni (sive Deo sive homini factæ) sortitur qualitates et limitationes ipsius actus cui adjicitur. Codex in *canone* 1318, § 1, ita enunciat axioma; *"Jusjurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur."* Solummodo addit novum vinculum religionis sed subaudit omnes restrictiones quoad *extensionem* obligationis quæ involvuntur in ipsa promissione vel in contractu alio. Sequitur, non quoad obligationem, nec quoad esse firmum vel irritum, sed quoad sensum verborum, quoad rationem liciti vel illiciti; item quoad alias conditiones tacitas seu limitationes quas contractus ex jure vel consuetudine contrahentium includit.

Illustrationes plures dantur a Suarezio (De Religione, v. II, L. II, C. XII). Inter has lege: "Votum juratum nullo modo obligat nisi sit *de bono meliori.*" n. 11.

"Juramentum additum voto quod impedit majus bonum, non obligat." n. 12.

"Votum juratum potest in melius mutari." n. 13.

"Non potest juramentum adjectum promissioni factæ homini in melius mutari cum nocumento creditoris et ipso invito." n. 14. (Aliter si quæstio sit de statu perfectionis adoptando, nam illa conditio semper subintelligitur—nisi ingrediar religionem.)

Præterea juramentum promissorium etiam absolute prolatum habet quasdam conditiones proprias subintellectas; v. g. "si potuero," "salva auctoritate superioris," "nisi remittatur," "si acceptetur," "si res non notabiliter mutetur," "si altera pars steterit promissis." Cf. Sporer I, p. 590.

Sunt utique actus in se saltem infirmi qui ex adjecto juramento acquirunt firmitatem. Sed nulla obligatio inducitur quando actus ipse vergit "in damnum aliorum, aut in præjudicium boni publici vel salutis æternæ." C. 1318, § 2. Nequit enim quis obligari ad peccatum.

III. ***Cessatio*** jurisjurandi promissorii fit (1) remissione ipsius in cujus favorem emissum est, (2) mutatione substantiali rei juratæ, vel si ex mutatione adjunctorum reddatur res mala, omnino indifferens, aut impeditiva majoris boni, (3) deficiente causa finali aut conditione motiva, (4) irritatione, (5) dispensatione, (6) commutatione. C. 1319.

1°. *remissione,* quia intrinsece includit conditionem, si alter cui fit promissio fuerit contentus, quia nemini invito fit beneficium aut servitium. Tacita videtur sufficere. Suarez, l. 39, n. 1.

2°. *mutatione substantiali,* quia hæc conditio implicite involvitur in voluntate jurantis. Ipso facto cessat quando mutatio est certa; in dubio petenda est relaxatio. Suarez, C. 35, n. 10. Exemplum est sponsalium juratorum post quæ virgo violatur, vel detegitur violatio. Qualitas enim sine qua quis non jurasset, reputatur æquivalens substantiæ.

3. *Irritatione* et *dispensatione* prout ex potestate *dominativa* in ipsam *materiam,* vel *jurisdictionis* in *personam* agit superior. Cf. de Voto.

N. B. Relaxatio quandoque significat quamcumque ablationem vinculi juramenti, quandoque dispensationem, sed strictius adhibetur in sensu dispensationis juramenti promissorii homini facti "quando causa potissimum attenditur ex parte creditoris." Suarez, n. 2.

Iidem qui vota irritare, dispensare, commutare possunt, similem potestatem habent in juramenta ob eamdem rationem. Quoad irritationem, probabiliter numquam est *directa* in hac materia; certe tamen irritari potest juramentum etiam factum in favorem tertii.

Dispensatio a votis juratis fit ab eis qui possunt a votis. Quoad promissiones juratas factas homini, consensus creditoris exigitur nisi sit necessaria vel utilis ad bonum commune relaxatio. Disputabatur olim de eo qui posset dispensare in hoc ultimo casu. (Cf. Suarez, c. 41.) Lex hodierna clara est: *"si jurisjurandi dispensatio vergat in præjudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest jusjurandum dispensare propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ."* C. 1320.

Interpretanda est stricte, sumendo pro mensura ipsum jus, intentionem jurantis, aut in casu quo jurans dolose agit, intentionem alterius partis cui juratur. C. 1321.

Exorto dubio de extensione materiæ, præsumptio est jurantem ad minimum se obligasse. Ergo si verba sunt dubia, restringenda sunt juxta regulas interpretationis, neque in foro externo aliud urgeri potest.

In foro conscientiæ standum est intentioni jurantis.

Theologi alias regulas dant circa interpretationem sed non sunt nisi præsupponendæ conditiones (v. g. si possum, salvo jure superioris, si res non mutatur, si alter steterit), vel regulæ generales de juramento (v. g. sequitur naturam actus).

quibus cultus publicus Deo debitus sit exhibendus.

IIa, IIæ, Q. 122, *a.* 4

Ut extaret publica et continua agnitio beneficii communis (creationis) Deus imposuit hominibus obligationem seponendi unam diem in hebdomada ad cultum divinum; "*Memento ut diem sabbati sanctifices*" et "*Septima die Domini Dei tui non facies omne opus.*" Quamvis hoc præceptum sit *cœremoniale,* ponitur inter præcepta Decalogi. Ratio est, quia est etiam præceptum *morale,* "quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis." Duo igitur continentur in isto præcepto etiam in quantum est morale—*negativum,* i. e. requies ab operibus servilibus et *positivum,* i. e. susceptio alicujus operis exterioris cultus divini. Abrogato præcepto quatenus fuit cœremoniale, Ecclesia lege sua vel consuetudine assignavit diem dominicam aliosque dies festos, mitigavit aliquomodo rigorem abstinentiæ ab operibus, et determinavit auditionem Missæ ut obligatoriam.

CAN. 1248.

"Festis de præcepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimæ consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus."

CAN. 1249.

"Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missæ adest quocunque catholico ritu celebretur, sub dio aut in quacunque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis cœmeteriorum ædiculis de quibus in can. 1190, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit."

MISSA

Ad rite implendum præceptum, notari debent:

Præsentia Corporis quæ est ***moralis*** (i. e. qua quis in communi æstimatione ut *assistens* vel localiter conjunctus

cum celebratione haberetur) et ***continua*** i. e. durante tota missa, ita ut neque per ***notabilem*** partem (sive *amplitudine* sive *dignitate* talem) neque per ***exiguam*** partem absit;

Attentio seu advertentia mentis aliqua, aut ***interna*** stricte dicta; aut saltem remissa illa et ferme inconscia recognitio illius quod fit, quæ vocatur ***externa;***

Locus debitus qui est aut sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio, (exceptis privatis in privatis ædibus sine privilegio).

Præsentia moralis: *Non requiritur*: (a) ut sacerdos videatur vel audiatur; (b) ut sit intra parietes ecclesiæ. *Requiritur*: (a) *ut aliquomodo sequi possit et cognoscere quid fiat*, v. g. motu multitudinis; (b) *ut non sit prorsus sejunctus a multitudine* (*extra* 30 *passuum*).

Unde probabilius satisfacit qui domi ad fenestram sedens, altare vel motum multitudinis videt, si brevis est distantia, vel qui audit musicam, etc. (Tamburini, De Lugo, Escobar, De Castillo, apud Elbel qui eos sequitur). Admittendo tamen probabilitatem oppositæ sententiæ (Suarez, Feliucci, etc.), non cogi debet ad audiendum hoc modo qui nequit adire Ecclesiam. (*Elbel, I, n.* 355.)

Qui post parietem nullo modo scire potest quid agatur, non audit. (*S. O. Ojetti; secus si potest*).

Qui domi manens jungit preces eodem prorsus tempore cum precibus missæ, non audit.

Præsentia continua: Præceptum grave cadit in integram missam, ita ut nulla sit pars cujus omissio non computetur ad constituendum grave peccatum.

Admittitur tamen parvitas materiæ, quando scilicet pars omissa non est *notabilis*.

Ut determinetur quænam sit pars *notabilis*, attendi debent duo, *amplitudo* et *dignitas*.

Grave peccatum est omittere: (1) Consecrationem *et* Communionem, (2) omnia usque ad Offertorium inclusive, (3) omnia ante Evangelium *et* post Communionem, (4) omnia a fine Præfatii usque ad Consecrationem, (5) a Consecratione finita ad Pater Noster exclusive, (6) omissio Consecrationis totius (sed non certo). Cf. Elbel, n. 358, *nimis durum*, Bucc., 642, *S. Alphonso non improbabilis.* Noldin, 264, Arregui, 438.

Grave est juxta plures non adesse Consecrationi et Communioni in eadem Missa. (Cf. tamen Lugonem qui allegat multos negantes. (*De Euch., d.* 22, *n.* 7.)

Tarde veniens (sive culpabiliter sive non) sed ante Consecrationem tenetur sub gravi ad reliqua. Si vero *post consecrationem* non tenetur manere, etiam si non possit aliam missam audire.

Simultanea auditio partium diversarum duarum Missarum, non satisfacit præcepto; successiva autem sufficit si communio et consecratio sunt in eadem.

Attentio est advertentia mentis ad missam.

Ut sit auditio *actus humanus*, requiritur aliqua *intentio* assistendi (non satisfaciendi).

Etsi habita fuerit antea intentio, si tamen nullo prorsus modo influat in ipsam actionem et nullam minimam advertentiam actualem causet durante sacrificio, *Missa non auditur.*

Attentio Interna est applicatio mentis ad id quod fit. *Attentio Externa* est absentia externæ actionis quæ esset incompossibilis cum attentione interna ad missam. Videtur importare remissum aliquem gradum advertentiæ.

Non audit cæcus qui nescit esse missam, dormiens per totam, aliud agens per notabilem partem. *Audit* breviarium recitans, peccata confitens, interdum dormiens.

Locus debitus est quælibet *Ecclesia* (c. 1161), *Oratorium publicum* vel *semi-publicum* (c. 1188). In his igitur locis valent omnes satisfacere præcepto neque potest parochus vel Episcopus huic legi communi derogare. Oratorium in cœmetario et Oratorium Cardinalis vel Episcopi æquiperantur his quoad hanc legem.

Quoad *oratoria privata* alia, solum indultarii possunt satisfacere præcepto. Ut cognoscamus quinam sint indultarii, attendenda sunt verba indulti et concessionis. Si est *simplex concessio* indulti generalis, post 7 Feb. 1909 data, soli indultarii seu personæ postulantes et quibus nominatim conceditur possunt satisfacere præcepto; si ante 1909 indultum concessum est, includuntur præter principales privilegiatos consanguinei et affines commorantes in eadem domo, familiares *tunc* necessarii, illi qui sunt aliquomodo nobiles, si ruri est oratorium et hi invitati sunt ad prandium. Hodie

etiam sæpe extenditur hæc vel similis ampliatio quando petitur. Cf. Ferreres, I, n. 436, 437. Sacerdos celebrans et minister *necessarius* in omni casu legi satisfaciunt.

In *navi* capella quæ habet fixum locum est quasi publica pro navigantibus; si non habet fixum locum est æquiperanda *altari portatili* et juxta ordinarias regulas fideles non tenentur in casu ubi celebratur Missa ex privilegio personali. Quidam putant *probabiliter* teneri si Cardinales, Episcopi, vel Capellani celebrant ibi. Ferreres, n. 440.

Causæ Excusantes:

Causa mediocriter gravis, i. e. quæ involvit *mediocre* damnum vel *incommodum* in *bonis corporis vel animæ proprii vel proximi*, i. e. *quando incommodum tale timetur ob quod solet omittere alia negotia alicujus momenti*, excusat ab hac lege.

Exempla talis causæ sunt (1) impotentia physica, v. g. moderata ægritudo, (2) moralis necessitas, v. g. periculum infamiæ, suspicionis, dedecoris, mercatura justa ac rationabilis quam quis exercet in loco ubi nulla est ecclesia, defectus vestitus convenientis statui, caritas vel misericordia exercenda ex præcepto, officium, consuetudo.

OPERA PROHIBITA

Opera prohibita sunt ***servilia, forensia, civilia.***

Servilia: Ea quæ apte spectant ad servos vel operarios, quatenus laborem corporis requirunt potiusquam mentis, et sive natura sua sive consuetudine relegantur servis, v. g. *arare, fodere, nere, putare*, suere, lavare, plura in ædificando.

Liberalia: Quæ aut intelligentiam aut peritiam exigunt, ut *docere, loqui, legere, scribere, cantare.*

Communia vel mixta: quæ participant de utroque charactere.

(1) *Videatur quid potius prædominet*, ad judicandum de liceitate, ita venari, piscari, delineare, pingere, sculpere, machina typographica uti, non vetantur.

(2) *Videatur num per educationem in tali opere acquiratur peritia*, ita saltatio, ludi histrionum etiam ad recreandum, cursus pedestres, permittuntur.

(3) *An sit magnus apparatus.* Hinc venari, etc., cum magno apparatu non licet.

Forenses sunt actus qui ad forum judiciale pertinent et solemnitate fiunt, v. g. interrogare reos, audire testes, sententiam pronunciare. Consultatio advocatus, aliique similes privati actus non sunt vetiti.

Civilia quæ prohibentur sunt publicus mercatus, nundinæ, aliæque publicæ emptiones et venditiones, "nisi aliud ferant legitimæ consuetudines aut peculiaria indulta."

Gravis materia in operibus servilibus non habetur nisi labor excedat unam horam juxta Suarez (de Rel. t. 2, l. 2, de festis c. 31), duas horas juxta plures imo juxta communem sententiam; multi extendunt ad *tres.* *"Durum mortalis damnare si duas aut tres impendat."* Busenbaum. *Gravitas* in operibus forensibus et civilibus desumitur potius ex qualitate rei.

Excusat causa gravis, proportione servata ad durationem et qualitatem operis. In specie (1) *necessitas,* v. g. servandi segetem, obediendi hero, reficiendi instrumenta, vestes, etc., pro iis qui non facile possunt aliter, (2) *caritas,* v. g. inserviendo in nosocomio, (3) *pietas,* (4) *consuetudo legitima.*

DE PIETATE

Doctrina S. Thomæ

(*IIa, IIæ, Q. CI.*)

Pietas est virtus quæ exhibet cultum parentibus et patriæ. (a. 3 ad 2.)

Sicut ad *religionem* pertinet cultum *Deo* exhibere, ita secundario gradu ad *pietatem* pertinet exhibere cultum *parentibus* et *patriæ*. "Pietas est per quam sanguine junctis, patriæque benevolis officium et diligens tribuitur cultus." Tullius, *Rhetorica, Lib. II, de Invent.*) Post Deum homo est maxime debitor ipsis (secundum excellentiam et beneficia) a quibus et in qua nati et nutriti sumus. In cultu parentum includitur cultus consanguineorum et in cultu patriæ omnium concivium et omnium patriæ amicorum. Etsi nomen pietatis etiam ad divinum cultum refertur, ad ipsum Deum qui pius dicitur, et ad amicitiam in genere, tamen *magis* extenditur ad communicationes *consanguineorum* et *concivium*. (a. 1.)

Cultus debitus seu *honor* includit *per se* reverentiam et obsequium. *Per accidens,* sustentationem et alia officia quæ sub debito obsequio continentur. Per se patri convenit ut subveniat filio, etiam thesaurizando—i. e. ad totam vitam. Non tenentur *filii thesaurizare parentibus* (2 ad Cor. 12, 14). (a. 2.)

Distingui debet hæc virtus ab aliis: Est *protestatio caritatis* sicut religio est fidei, spei, caritatis; est *imitatio religionis* sed solum per excellentiam pietas cultus Dei nominatur, sicut et Deus excellenter dicitur *Pater Noster;* est *filia justitiæ* quatenus debitum alteri reddat, sed ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est *specialis* virtus; similis est *justitiæ legali* in hoc quod tendit in bonum patriæ sed differt quatenus se extendit ad patriam secundum quod est nobis *quoddam essendi principium* dum justitia legalis respicit bonum patriæ secundum quod est bonum commune. (a. 3.)

Moderatio seu *debitus modus* servari debet in exercitio hujus virtutis sicut aliarum. Non datur conflictus seu re-

pungnantia inter virtutes. Quando cultus parentum abstraheret a cultu Dei, non esset pietatis exercitium colere parentes. Quando obsequia nostra sunt necessaria parentibus ut sine his sustentari non possint, nec nos ad aliquid contra Deum inducunt, non debemus intuitu religionis eos deserere. Si autem sine peccato eorum obsequiis vacare non possumus, vel etiam si absque nostro obsequio possunt sustentari, licitum est eorum obsequia prætermittere, ad hoc quod amplius religioni vacemus. Qui vero jam consepultus est cum Christo in religione, non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum; tenetur tamen, salva sui prælati obedientia et suæ religionis statu, pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.

Obligationes Filiorum

Parentibus debetur:

I. Amor, ut proximis, ex Caritate, Interne, Externe, Ordinate.

II. Reverentia, ut Excellentioribus, ex Pietate, Voce, Gestu, Actu.

III. Obsequium, ut legitimæ auctoritati, ex Obedientia.

I. **Amor**: grave est malum eis desiderare, odio habere, non eis subvenire in necessitate gravi corporis vel animæ.

II. **Reverentia**: graviter læditur. (1) *Verbis*, eos aspere alloquendo, eos ex animo maledicendo, eos recusando signa benevolentiæ, eos præsentes contumeliose tractando. (2) *Gestibus*, torvis oculis aspiciendo, subsannando. (3) *Actibus*, manus levando, percutiendo; accusando.

N. B. Requiritur ad grave plena deliberatio quæ sæpe deest.

III. **Obsequium**: graviter *peccatur* (1) recusando obedientiam iis serio et in re gravi præcipientibus quæ ad domesticam gubernationem et mores pertinent, exceptis electione status, ingressu in matrimonium (nisi ex justa causa); (2) eos non agnoscendo.

Opem ferre in egestate: grave est ingredi religionem, relinquendo eos in egestate.

Obedientia: "Est specialis virtus; et ejus speciale objectum est præceptum tacitum vel expressum." II, II, Q. 104, a. 2.

"In quantum procedit ex reverentia prælatorum, continetur quodammodo sub observantia; in quantum vero procedit ex reverentia parentum, sub pietate; in quantum vero procedit ex reverentia Dei, sub religione, et pertinet ad devotionem quæ est principalis actus religionis." (a. 3, ad 1.)

1) ***In licitis,*** 2) ***pertinentibus ad gubernationem,*** 3) ***stricte præceptis,*** 4) ***dum sunt subditi.***

Per se sub gravi ex jure naturæ et positivo divino.

(1) "Obedire oportet Deo magis," etc. Act V, 29.

"Qui amat patrem." Matt. X, 37.

(2) Gubernatio hic includit *curam* tum *spiritualem* tum *temporalem.*

Ordo domesticus...ut domum redeat fixa hora.

Morum honestas...ut evitet lusum immoderatum.

Animæ utilitas.....ut audiat conciones.

GRAVITAS mensuranda est ex *materia,* ex *mente præcipientis,* ex *advertentia peccantis,* ex *virtuali contemptu.*

Sæpe deest contemptus quando *raro* frangitur. Præsumptio est illam adesse si *regulariter* negligitur.

Materia gravis non est necessario in se peccatum *grave.*

Mens præcipientis ex *modo* colligitur.

Quid de electione status?

Per se filii non tenentur obedire, sed *per accidens* possunt teneri.

"Per calcatum perge patrem; per calcatam perge matrem; vexillum crucis evola; summum genus pietatis est in hac re esse crudelem." S. Hierony. ad Heliod. (Cf. II, II, Q. 101, a. 4.)

Cautiones de minoribus. (C. 1034.)

Quoad matrimonium: Per se *consulendi* parentes.

(3) *Stricte præceptis.*

Nisi hoc modo imponatur præceptum non potest esse peccatum inobedientiæ, nam sæpe excusantur a duplici malitia accusanda, quia parentes potius urgere volunt existens præceptum divinum quam novum addere.

(4) Reverentia semper exhibenda; non item obsequium.

Obligationes Parentum

Parentes—(avus, avia, etc.) tenentur.

Ex pietate—ad educationem quoad corpus et animam sub gravi, etiam *illegitimos.*

Peccata—Tractatio dura et aspera, præferentia, mutilatio.

Officia. (1) Tempore *infantiæ*—evitare periculum *abortus,* pericula *exponendi,* qualitates malas tum physicas tum morales.

(2) *Cura temporalis*—alendo, procurando scientiam aptam conditioni, hæreditatem juxta statum.

(3) *Cura Spiritualis*—a) Mores, doctrina Christiana, consortium, mandata, sacramenta; b) præscindere occasiones peccandi; c) exemplum; d) correctio.

Obligationes Conjugum

Principalis finis conjugii est humanæ prolis legitima procreatio et educatio.

Secundarius finis est mutuum auxilium; "*mutuum obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum.*" Q. 41, a. 1.

"Quædam opera sunt competentia viris, quædam mulieribus. Unde natura movet ut sit quædam viri ad mulierem associatio."

"Ad educationem prolis ordinatur tota communicatio operum quæ est inter virum et uxorem in quantum sunt matrimonio conjuncti."

Mutua obligatio (a) servandi connubii fidem, (b) cohabitationis, (c) amoris—adjutorii quoad corpus et animam.

Maritus obligatur (a) tueri uxorem, (b) non diu abesse nec longam peregrinationem suscipere invita uxore (nisi ob justam causam et si sine gravi incommodo non potest secum ferre uxorem), (c) alere uxorem juxta propriam conditionem.

Uxor tenetur (a) curam habere rei familiaris (dependenter a marito), (b) educare prolem (dependenter a marito), (c) reverentiam, obsequium, obedientiam præstare in iis quæ spectant mores et gubernationem. (*Cf. Leo XIII, Arcanum,* 10 *Feb.* 1886.)

Aequalitas non est omnimoda inter conjuges.

(1) In salute et perfectione obtinenda, uxor est æqualis

viro, ab eoque independens et emancipata. *"In Christo enim non est masculus neque femina."* Gal. II, 28.

(2) Cum debita proportione æquales sunt in juribus circa actum conjugalem et dispensationem domus: *"Sicut tenetur vir uxori actu conjugali et dispensatione domus ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est."* 4 Dist. 32, q. 1, a. 3.

(3) Absolute et simpliciter uxor non est *æqualis* viro in societate domestica, sive ut conjux, sive ut parens sive ut domina respiciatur. (Cf. Gen. II, 18; I Cor. II, 9; II, 3; Eph. V, 24; I Tim. II, 10, 14.)

"Duplex est æqualitas scilicet quantitatis et proportionis . . . Loquendo de prima æqualitate vir et uxor non sunt æquales in matrimonio . . . quantum ad domus dispensationem in qua uxor regitur et vir regit." S. Thom. *loc. cit. Cf.* Bucceroni, *Com. pp.* 252-253.

(4) Ordine domestico in tuto posito, altiora studia, amelioratio conditionis per diversa officia et negotia ad quæ sunt aptæ in vita civili, per se licita sunt.

(5) Ipsa actio socialis ad fines enumeratos apud auctorem (p. 240) non prohibetur mulieribus.

(6) In specie, relate ad suffragia ferenda hæc sunt notanda:

(a) In se non prohibetur mulieribus.

(b) Multo facilius quam in casu virorum exsurgere potest prohibitio per accidens, v. g. ob periculum moribus, ob neglectum familiæ, ob consortium cum malis et adjumentum præstandum causæ illarum.

(c) De concretis circumstantiis, Episcopi est judicare pro tota diocœsi, utrum talis praxis sit fovenda, prohibenda, toleranda.

N. B. De Scholis Acatholicis

I. *Numquam* licet mittere ad scholas *positive malas*, i. e. in quibus hæresis, impietas, aut morum corruptela docetur.

II. Scholæ nostræ publicæ sunt *per se* nocivæ fidei et moribus discipulorum, et systema supponit theoriam falsam.

III. Tamen casus necessitatis oriri potest ubi, remotis vel diminutis periculis, et tolerato systemate, permittere

potest Episcopus ut committatur puer hujusmodi scholæ. Necessitas esset defectus scholæ Catholicæ aptæ.

IV. Si Episcopus permittit, non est deneganda absolutio sive pueris sive parentibus. Aliter, solum si graviter peccant in casu.

Obligationes Famulorum

Servus est qui refertur ad utilitatem domini. Est *res domini,* non quoad personam sed quoad opera; hinc possideri, vendi, alienari potest. *Absoluta* servitus, i. e. quoad ipsam personam, repugnat legi naturali; *relative perfecta,* i. e. quoad omnia opera, minus consona est, sed non repugnat huic legi, nam titulo legitimo induci potest, v. g. voluntaria traditione, nativitate.

Famulus est qui libere init contractum, locando operas suas in servitium domini ejusque familiæ. Talis subest gubernationi per totam diem et ex virtute pietatis debet reverentiam, obsequium, fidelitatem.

Operarius est qui locat certum laborem vel certum tempus, et non recipitur in familiam.

Obligationes Dominorum: Benigne tractare et convenienter gubernare famulos eisque pretium justum solvere. Graviter peccare possunt denegando tempus ad rudimenta fidei discenda, introducendo malos in familiam, non corrigendo, etc.

Obligationes Famulorum: Exhibere reverentiam, obsequium, obedientiam et fidelitatem.

"Post præcepta tria pertinentia ad religionem, qua redditur debitum Deo, et post quartum præceptum quod est pietatis, qua redditur parentibus debitum, in quo includitur omne debitum quod ex aliqua speciali ratione debetur, necesse fuit quod ponerentur consequenter aliqua præcepta pertinentia ad justitiam proprie dictam, quæ indifferenter omnibus debitum reddit." II, II, Q. 102, a. 6.

Suicidium

(II, II, Q. 64, a. 5)

Tum contra caritatem, tum contra justitiam erga communitatem et Deum.

I. Suicidium directum est semper illicitum.

Numquam licet ut medium ad aliud quærere; hinc non licet virgini directe occidere se ad servandam virginitatem, etiamsi minima pars vitæ supersit, et judicet esse periculum proximum peccandi.

Numquam licet aliquid ponere vel omittere ex cujus positione vel omissione mors propria immediatius provenit.

Numquam licet directe abbreviare vitam.

Prob. S. Thom., Q. 64, a. 5, in corp.

(1) "Sibi ipsi nocet cui maximam dilectionem."

(2) "Transitus de hac vita ad feliciorem non subjacet libero arbitrio hominis sed potestati divinæ." *"Ego occido et ego vivere faciam."* Deut. 23, 36.

II. Suicidium indirectum est quandoque licitum.

Licet virgini mortem pati potiusquam permittere violationem. (Probabilius non tenetur, quia co-operatio esset materialis tantum, periculum consensus removeri potest, et justa adest causa.)

Licet virgini se exponere periculo mortis certo secuturæ ad servandam virginitatem (probabilius), v. g. ex alta fenestra se projicere. Licet ad bonum commune, v. g. in bello.

In periculo mortis licet respuere remedia certo efficacia sed *extraordinaria*. (Non licet ordinaria respuere).

III. Mutilatio sui illicita est nisi fiat ad conservationem totius.

Non licet ad vitandas tentationes, neque licet ad bonum temporale, v. g. ad suavius canendum. (Cf. Prummer, p. 106, S. Alph.)

Licet *vasectomiam* et *ovariotomiam* subire, si necesse est ad salutem totius; sed non licet ad vitandam prolem. (Cf. *decret. S. O.* 1895.)

N. B. **Ovariotomia:**

(a) *Operatio Porrensis,* qua per incisionem ventris (laparotomia), penitus auferuntur *duo ovaria* et uterus. Mulier ita redditur incapax per se ad generationem, etsi plenam voluptatem ex coitu percipiat.

(b) *Hysterotomia* est ablatio *uteri* quæ fit vel per sectionem *vaginalem* vel per sectionem *abdominalem* (*laparotomia*).

Excidere hæc organa est graviter illicitum ob mutilationem gravem, nisi in casu quo ex præsentia organorum mulier est in periculo gravi ipsius vitæ amittendæ. Hinc etiam *ad partum periculosum vitandum,* nequit fieri operatio. Cf. Eschbach, p. 371.

Vasectomia duplex est operatio qua canales spermatici ita secantur ut, retracto cultro, claudantur, reparentur vulnera, et sic impeditur transmissio veri seminis in membrum virile. Coitus subsequens est possibilis, etiam cum voluptate, sed est certo sterilis. (Utrum necne sit impedimentum impotentiæ, postea videbitur).

Talis operatio est gravis mutilatio, quam proinde licet admittere ad salvandam propriam vitam sed certe non ob aliam rationem. Privare se tali facultate crimen est in Deum et in societatem.

Occisio Rei

Licet *publica auctoritate* quandoque, numquam vero *privata* occidere reum.

Talis potestas colligitur tamquam corollarium ex jure Societatis protegendi *existentiam* boni communis mediis necessariis, efficacibus et licitis. In conflictu jurium, privatum jus quod *inique* adhibetur contra publicum huic cedere debet.

Etiam pater nequit filium mutilare in pœnam delicti; publica auctoritas quandoque potest.

Sed status nequit criminosis *vasectomiam* infligere in pœnam (ut hoc modo procreatio impediatur). *Rationes*:

(a) Gratuita est suppositio de qualitate mala futuræ prolis. Nullatenus igitur probatur *aptitudo* vel *ratio sufficiens* talis pœnæ.

(b) Periculum non imminet statui ex hoc fonte, nam nondum nati sunt. Non igitur habet jus privandi criminosum hoc jure naturali quod nondum est in conflictu cum salute communi.

(c) Ad conservationem status non est medium moraliter necessarium.

(d) Non est *efficax* pœna cohibens crimina.

Occisio Injusti Aggressoris

Licet se defendere, servato moderamine.

Constat ex SS. (v. g. Exod. xxii, 2, Cf. *August.* in hunc locum), ex PP., Jure Canonico, et ex ratione. (Cf. Cozzi, II, p. 174). S. Thom. Q. 64, a. 7, ex inconvenientibus.

Plus tenetur homo vitæ suæ providere quam alienæ.

Etiam ebrium vel amentem, nisi certo scias eum esse in peccato mortali.

Etiam ad bona fortunæ magna servanda, ad membra, ad pudicitiam servandam; non tamen post violationem. (Mulier violata potest statim expellere semen).

Licet ad succurrendum proximo idem facere.

Non licet *honorem* hoc modo defendere.

Non licet furi satellites interimere (quia requiritur ut aggressor sit saltem materialiter injustus).

Licet occidere etiamsi aggressor provocatus fuerit a me, v. g. licet adultero ad vitam suam servandam occidere maritum.

Occisio Innocentis

Numquam licet directe, quandoque licet indirecte occidere (potius permittere occisionem) **innocentem.**

Ponere actionem quæ suapte natura adimit vitam est **directa actione** *hominem occidere.*

Intentio occidendi est semper illicita

(Intellige *"propria auctoritate,"* sive ponatur actio externa sive non, sive actio externa habeat unum sive habeat plures effectus, sive ut finis sive ut medium mors intendatur.)

Proinde semper est grave peccatum ponere *actionem ex se occisivam* ut alter bonus effectus consequens obtineatur. Nam in hoc casu revera actio per se occisiva seligitur ut medium et proinde est occisio intenta, vi cujus alia actio bona obtineatur. Numquam tamen media mala eligenda sunt ut finis bonus obtineatur. Hinc colligitur illicitum esse:

1°. Infantem proxime moriturum in flumen projicere. (S. Alph., VI, 106.)

2°. Matrem proxime morituram occidere ut infans in utero baptizetur. (S. Thom. III, 68, 11 ad 3.)

3°. Virgini ad castitatem servandam directe se occidere.

4°. Statui etiam ad se servandum, innocentem mutilare v. g. infligendo vasectomiam. Non cives propter rempublicam.

5°. Occidere innocentes legatos: *Reprisals.*

Actio quæ habet effectus tum *occidendi* tum *alium bonum* licita est (1) si *occisio* non præcedat alium effectum, (2) si occisio non intendatur, (3) si adest ratio relative gravis permittendi.

Hinc licet—1°. Puerum vita periclitantem baptizare algida injecta. (S. Alph. VI, 106.)

2°. Navem comburere ne in potestatem hostium deveniat, quando comburentes perituri sunt. (Less. II, q. 34.)

3°. Reo non fugere; imo sistere se judici plectendum.

4°. Carthusiano abstinere in extrema ægritudine, cum certo periculo mortis. (Cf. La Croix, Tr. IV, C. I. Dub. I., distinguit, dicendo eum teneri si necessitas provenit ab extrinseco, v. g. si ob inopiam aliorum ciborum moriendum esset.)

5°. Carnem vigiliis et inedia moderate affligi. (S. Thom., Quodlib. V, a. 8; S. Alph., 370-371. Bened. XIV, De Canoniz. SS. Lib. III, c. 29, n. 6.)

6°. Tabulam cedere amico in naufragio.

7°. Vices subire amici ad mortem injuste damnati.

8°. Pericula mortis subire cum causa relative gravi, ut custodibus, ascendentibus tectum, etc.

9. Ad solum lucrum honestum labores suscipere qui decurtabunt probabiliter spatium vitæ.

10°. Ad duriorem mortem vitandam ex incensa domo prosilire, vel ex conflagrante navi in mare se projicere, vel ad servandam castitatem per fenestram fugere cum certo periculo mortis.

ABORTUS

I. Abortus est ejectio immaturi foetus viventis ex utero.

II. Numquam licet directe procurare abortum.

III. Indirecte procurare abortum quandoque licet.

1. **Abortus** est distinguendus ab **acceleratione partus** quæ fit post mensem septimum, quæque ob serias rationes permittitur. *"Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinarie contingentibus matris et fœtus vitæ consulatur."* *S. O.*, 4 *Maii*, 1898.

Ejectio procurari potest variis modis, v. g. pharmacis, balneis, injectionibus, percussionibus.

Immaturi, i. e. ante septimum gestationis mensem completum. Fœtus, post septimum mensem ita complete formatus est ut possit vivere extra uterum. Dicitur tunc *viabilis*, seu *maturus;* sed notandum est *præmaturam nativitatem* (post septimum sed ante nonum mensem) nequaquam esse idem ac ejectionem *fœtus immaturi.*

Viventis: si fœtus est mortuus nulla oritur specialis difficultas de expulsione ipsius.

Inter primum mensem post fecundationem ovuli feminei, fœtus vocatur *embryo.*

Omnes tum Patres tum Scholastici admittunt fœtum esse *viventem* statim post conceptionem. Sed olim vigebat disputatio de hoc utrum necne vivificatio ista prima ab anima rationali informante proveniret. S. Thomas et plures

scholastici tenebant animam rationalem non advenire donec post 40 dies in casu fœtus masculini, post 80 in femineo. Hodie fere communiter tenetur opposita sententia quæ videtur magis conformis etiam dictis SS. PP.

Quidquid sit de hac controversia nomen *abortus* in stricto sensu applicatur ad ejectionem fœtus ab ipso conceptionis tempore. Nam æque certum est prohiberi ejectionem fœtus ante adventum animæ rationalis, quatenus Innoc. XI damnavit—"*Licet procurare abortum ante animationem fœtus ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*" D. 1184. S.O., 19 Aug., 1889, exposuit "*in scholis Catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, sicut declaratum fuit die* 28 *Maii,* 1884, *et quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam fœtus vel matris gestantis.*"

II. Numquam licet directe, quæcumque media adhibeantur, sive sint *medicamenta,* sive balnea, lavationes, compressiones, sive judicetur fœtus animatus sive inanimatus (dummodo non mortuus) sive uterinus sive ectopicus, sive craniotomia sive alia quavis operatione.

In dubio sincero an sit tumor, probabiliter licet extrahere.

III. Juxta ordinarias leges quibus permittitur secundarius effectus malus prævisus, quandoque licet ad salvandam vitam matris quæ periclitatur non ex ipsa præsentia fœtus sed ex alia causa, remedium afferre huic causæ periclitanti, etsi prævideatur tamquam alius effectus (non magis immediatus quam effectus intentus) mors fœtus certo secutura.

Hinc licet ministrare matri graviter ægrotanti remedium fœtui nocivum, si concurrunt hæc: (a) morbus est lethalis, (b) remedium directe et immediate est ad morbum repellendum, (c) ministratio non impedit baptismi collationem, (d) hoc remedium est *necessarium,* i. e. unicum.

Licet probabiliter ob eamdem necessitatem excidere uterum gravidum morbo affectum.

Bellum

I. Quid: Pugna plurium contra extraneos.

II. Quale: Offensivum vel Defensivum.

III. Moralitas: Utrumque genus per se licitum dummodo, (1) auctoritate legitima, (2) ex causa gravi et justa, (3) debito modo suscipiatur. Quoad milites, standum est superiori nisi sit evidenter injustum.

I. "*Bellum* proprie est contra extraneos hostes, quasi multitudinis ad multitudinem; *rixa* autem est unius ad unum, vel paucorum ad paucos; *seditio* autem proprie est inter partes unius multitudinis inter se dissentientes, puta cum una pars civitatis excitatur in tumultum contra aliam." II, II, q. 42, a. 1.

II. *Offensivum* fit ad satisfactionem vel vindicandam injuriam acceptam.

Defensivum fit ad protegendum se vel reprimendum injustam aggressionem.

Stricte omne justum bellum est defensivum in quantum præsupponere debet repulsionem aggressionis in sua bona vel jura.

III. Conditiones:

a) *Legitima auctoritas;* ad ipsam enim pertinet tueri et vindicare etiam vi jura singulorum. Quando deficit auctoritas, i. e. incapax est, virtualiter cessat societas.

b) *Causa justa et gravis.*

Certa violatio seria juris certi non aliter recuperandi, v. g. *Libertas conscientiæ, personæ, gubernii, territorii, famæ nationalis,* justitia in *rebus maximi momenti.*

Duellum

In genere est pugna duorum armis periculosis suscepta, ex prævio condicto de loco et tempore.

Sub hoc generali descriptione continentur tum (1) duella suscepta *publica auctoritate* ob *bonum commune,* in quo pugnantes repræsentant totos exercitus, tum (2) duella judicialia quæ olim instituta erant publica auctoritate ad *detegendum reum* (legal ordeal).

Priora sunt omnino licita, sed posteriora sunt contra legem Dei et Ecclesiæ, quum exponunt innocentes ad periculum mortis et constituunt tentationem Dei.

In specie duellum est pugna duorum armis periculosis suscepta *privata auctoritate* ex condicto de loco, tempore, et armis.

Numquam licitum est tale duellum: Ratio est quia ipsa lex naturalis vetat quominus quis sine ratione sufficienti exponat se vel alios morti vel mutilationi. Medium hoc est prorsus ineptum ad satisfactionem obtinendam, neque urgeri potest ratio justæ defensionis. Relinquitur ut sit solum actio directe occisiva vel mutilitiva alterius in intentione utriusque duellantis, sine ulla ratione justificante.

Cf. Trid. Sess. 24 de Reform., c. xix, Cod. Juris Can. CC. 1240, § 1-4, 1241, 2351.

Luxuria

I. Luxuria est inordinatus appetitus rei venereæ; seu, est appetitio delectationis venereæ extra matrimonium.

II. Omnis delectatio venerea directe quæsita extra matrimonium est peccatum mortale.

III. Delectatio venerea indirecte voluntaria potest esse veniale.

I. Virtus cardinalis *temperantiæ* reprimit concupiscentiam maxime circa delectationes tactus. **Luxuria** opponitur huic virtuti in quantum est *excessus in materia venereorum.* (II, II, Q. 153.) Actus ejus est peccatum in quantum perturbat ordinem rationis. In usu hujus potentiæ regulatio a recta ratione est supremi momenti ob nexum quem habet cum bono communi; spectat enim ipsam conservationem generis humani. Luxuria directe opponitur virtuti Castitatis.

Delectatio venerea est *sensus voluptatis quem natura annexuit actioni qua genus humanum propagatur.* In ipso actu consummato seu perfecto est plena satisfactio; sed multi sunt gradus appropinquantes ad illam completam voluptatem. In physiologica gradatione, datur diffusa quædam et vaga sensatio initialis in qua prædominat delectatio sensibilis et ab auctoribus vocatur aut *sensibilis-venerea* aut *carnalis-sensibilis.* Præter hanc quasi intermediam delectationem, datur ex una parte delectatio *naturalis* et ex alia *stricte venerea.* Diversitas harum delectationum judicanda est ex parte corporis quæ notabiliter afficitur in eis experiendis et ex natura objectorum quibus excitantur.

Fusior explicatio istius *mixtæ* seu *sensibilis-carnalis* delectationis videri potest apud Vermeersch. Orta igitur delectatione pure sensibili, facile ob associationis legem excitat commotionem veneream et voluptatem concomitantem; combinatio duarum delectationem constituit carnalem-sensibilem.

Aliam quoque delectationem—*sensibilis generalior* quæ vocatur, describit idem auctor. Consistit in diffusa quasi per totum corpus affectione quæ resultat ex multiplici impressione omnium sensationum. Hic status attemperatus novam quamlibet advenientem sensationem modificat qua inclinatur ad novas et facile ad *carnales* delectationes (p. 22). Tunc etiam habetur sensibilis-carnalis delectatio.

Sedulo igitur distinguendæ sunt 1° delectatio ***naturalis sensibilis*** quæ propria est singulorum sensuum et vocatur etiam ***"sensibilis,"*** 2° delectatio ***venerea*** quæ concomitatur immutationem partium genitalium et 3° delectatio ***sensibilis-carnalis*** (vel ***sensibilis-venerea***) quæ consistit aut in commixtione utriusque aut in generali sensatione quæ inclinat ad venereum excitandam.



N. B. Includit hæc divisio explicite solum actus externos quibus annectitur delectatio venerea; sed, ut patet, doctrina generalis de peccatis internis desiderii et complacentiæ applicari debet huic materiæ. Desiderium deliberatum (sive efficax sive inefficax) induit malitiam objecti *prout est a parte rei.* Complacentia objecti *prout in imaginatione sistitur; ergo* probabiliter non contrahitur malitia circumstantiarum nisi motus voluntatis in has expresse feratur.

II. Tum SS. in pluribus locis (v. g. I Cor. vi, 9-19; Gal. v, 19 . . . ; Eph. v. 5), tum ratio ipsa, ut jam indicatum est, proclamant gravitatem hujus peccati. Sed oritur quæstio utrum *ex toto genere suo* sit grave peccatum, seu, aliis verbis, utrum in hac materia admitti possit *parvitas materiæ.* Unanimis fere sententia Theologorum et omnino tenenda docet in re venerea *non dari parvitatem materiæ.* Ex quo sequitur omnem actum plene deliberatum cujus objectum immediatum et directum est delectatio venerea inordinata, esse peccatum mortale; quod est verum utrum sit con-

summatus vel non consummatus, internus vel externus, juxta vel contra naturam. Rationes hujus asserti sunt: 1°. Quævis delectatio venerea inordinata est magna deordinatio in re graviter prohibita, quia est quædam inchoata pollutio et peculiari efficacitate ex se impellit hominem ad ulteriores actus; 2°. Alex. VII damnavit hanc propositionem: *"Est probabilis opinio quæ docet esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis."* Ait S. Alphonsus (415): *Graviter peccat qui sponte consentit in motus leves carnales sponte obvenientes.* Notandum est his verbis significari *plenum consensum* in ipsam delectationem *venéream* seu *carnalem* etsi minimam.

III. Quando ex actione (sive bona sive mala) oritur delectatio venerea tamquam effectus secundarius prævisus sed non intentus neque postea deliberate in se admissus, imputabilitas hujusmodi effectus mensuranda est juxta regulas consuetas. Propinquitas et arctitudo nexus inter causam et effectus, relativa gravitas boni obtinendi et mali vitandi, perpendi debent.

A. Quum sit semper *aliqua deordinatio* in his commotionibus et *aliquod periculum peccandi*, semper requiritur aliqua rationabilis et bona causa ad permittendum talem effectum.

a) Quando igitur causa est *peccatum*, sive alterius generis (v. g. ebrietas), sive ad idem genus pertinens sed leve (v. g. aspectus non graviter turpes), effectus ille erit *aliquomodo imputabilis*, (nam deest ratio sufficiens permittendi), sed non erit imputabilis ut peccatum *mortale*, (nam conjunctio est nimis remota, et tribuendus est effectus, saltem ex magna parte, aliis causis extrinsecis).

b) Quando causa *per se* influit in effectum istum malum, i. e. quando est nexus ita arctus ut *juxta ordinarie contingentia* talis effectus sequatur, tunc agens contrahit malitiam istius effectus. Sed si quæritur quid significetur per *ordinarie contingentia*, respondetur hoc intelligendum esse in sensu *personæ normaliter constitutæ*. Sed in talibus non sequitur effectus prædictus nisi, (1) *causativa actio sit in genere luxuriæ*, et (2) *sit peccatum grave in eodem genere.*

B. Obligatio vitandi *proximum periculum peccandi*

quandoque imponit obligationem evitandi actiones etiam in se bonas vel indifferentes. Attamen ubi existit moralis necessitas ponendi actiones tales, adoptari possunt alia media reddendi periculum remotum. Ita v. g. si sit quæstio de eo qui sæpius cadit in sacro ministerio vel in arte medicinæ exercenda.

Particulares applicationes hujus doctrinæ videantur in sequentibus.

PECCATA NON-CONSUMMATA

Quæstio est de quibusdam actibus *ex se indifferentibus* (II, II, q. 154, a. 4 ad 3), sed qui dicuntur esse *in genere luxuriæ* eo quod ordinarie concomitantur actum consummatum venereum et ex natura sua continent plus minusve periculum peccandi, eo quod facile excitant delectationem venereum. Sunt *oscula, amplexus, tactus, aspectus, colloquia, lectiones,* etc. In diversis his actibus tractandis trademus, 1° delineamenta doctrinæ, et 2° casus quosdam particulares.

Oscula

I. Oscula ob delectationem venereum habita sunt semper mortalia, et induunt malitiam circumstantiarum; v. g. si persona Deo consecrata est.

II. Exclusa actuali delectatione venerea directe quæsita, variatur peccatum juxta gradum periculi. Hinc—

a) Periculum semper et per se proximum, si in partibus inhonestis.

b) Tale periculum fere semper, si in partibus minus honestis.

c) Tale periculum sæpe, si morosa extra usum patriæ, inter personas diversi sexus.

Practice numquam fiunt oscula in partibus inhonestis, minus honestis, columbina, sine directa intentione delectationis venereæ; proinde sunt *mortalia*: etiamsi non directe intenderetur talis voluptas, de se apta sunt ad eam excitandam et vix fingi potest seria ratio talis actionis ponendæ.

Oscula morosa, protracta modo insolito, sæpius repetita, perfervida, inter personas diversi sexus, non facile excusantur a mortali, etsi fiant inter futuros sponsos. Generaliter loquendo nequit dari ratio alia sufficiens talium præter delectationem vetitam.

Cajetanus, explicans locum citatum S. Thomæ (Q. 154, a. 4), tenet omnem delectationem secundum tactum esse

veneream, et proinde omnia oscula ad solam delectationem adhibita esse mortalia. Sed S. Thomas certe excipit eos tactus qui fiunt ob rationabilem causam, ob utilitatem, imo et propter delectationem adjunctam, ut in ludo. Ipse Cajetanus excipit eos qui ex levitate vel ex joco fiunt. Certe communis sententia est ordinarie non esse peccata oscula infantibus impressa, neque semper esse peccata ea quæ inter futuros sponsos fiunt. Juxta verba S. Thomæ: "Licent oscula quæ habentur propter consuetudinem patriæ vel propter aliam necessitatem aut rationabilem causam." Etiam S. Alphonsus, qui quandoque severius loquitur, admittit ea oscula quæ dantur sine magno ardore, ob bonum finem, in signum dilectionis, juxta morem patriæ, sine proximo periculo consensus, non esse peccaminosa, etiamsi exsurgerent motus concupiscentiæ.

Excusatur puella quæ amplexus honestos declinare non potest quin displiceat juveni.

Si tamen fœmina timet de interna pravitate osculantis, ex caritate vel ob proprium periculum tenetur impedire—(nisi sit incerta vel valde timida).

Tactus

I. Quilibet tactus corporis humani sive proprii sive alieni exercitus extra matrimonium ob delectationem veneream (sive ad fovendam sive ad augendam jam habitam, sive ad novam excitandam) cum plena deliberatione, est peccatum mortale.

II. Exclusa actuali intentione delectationis venereæ, aliqui actus de se graviter illiciti sunt ob periculum proximum delectationis vetitæ, nisi fiant ex causa relative gravi et proinde justificante.

Nulla est difficultas de primo puncto jam posito; nam minima delectatio venerea deliberate et directe quæsita est peccatum mortale.

De voluntario in causa, possunt oriri difficultates quædam. Unde notandum:

a) Medicus, in prosequendo negotio suo, non obstante prævisa pollutione, licite tangit etiam pudenda muliebria. Tenetur tamen, si in ea sit periculum proximum consensus, media adhibere ad periculum removendum.

b) Levior ratio, v. g. curiositas vel levitas excusare potest a mortali tactus partium minus honestarum, pudendarum infantium, etc.

Aspectus

Etiam aspectus impudici, i. e. turpium objectorum, cum ex natura sua contineant periculum delectationis venereæ excitandæ, prohibiti sunt—et si ob delectationem eam habentur, sub gravi. Probabiliter non induunt malitiam circumstantiarum.

Omnis aspectus qui habetur præcise propter delectationem libidinosam est peccatum mortale.

Præscindendo ab hac perversa intentione, auctores generatim tenent sequentia:

(1) Aspectus copulæ humanæ—ordinarie mortale.

(2) Aspectus fixus personæ omnino nudæ alterius sexus a loco vicino, vel partium verendarum ejusdem personæ (etiam si tenui velo co-operiantur)—ordinarie mortale.

(3) Alii aspectus (dummodo absit intentio libidinosa et scandalum) non sunt peccata mortalia.

De actibus impudicis in genere

Quum, ut dictum est, hi actus sint in se et abstracte considerati indifferentes, derivant suam malitiam ex periculo quod in concretis circumstantiis involvant. Proinde etsi quidem ex ipsis ut *sub gravi* prohibiti declarantur, addenda est vox *ordinarie*. Pendebit enim malitia multum *ex persona, ex ratione agendi* et ex aliis circumstantiis.

Nequit statui rigida regula pro omnibus personis. a) Aliqui sunt frigidæ naturæ, aut ex assuetis non tam facile affecti ac ordinariæ personæ. Si tales ex sua experientia hoc cognoscant, non sunt restringendi sub gravi quando non adest periculum grave commotionis carnalis. b) Alii *sua culpa* sunt facilius affecti quam ordinarii homines; ad plus possunt teneri. c) Alii sunt ex naturali complexione callida facilius affecti. Non ideo sunt intolerabilibus obligationibus onerandi. d) Demum sunt normaliter constituti; et pro talibus valent regulæ generales.

Si urgentur difficultates hæ:

1. An hic vel ille in particulari sit normaliter constitutus? *Respondetur,* in tali re morali negligendæ sunt variationes parvæ; solummodo *notabiles* deflectiones considerandæ sunt.

2. Quinam actus in particulari constituant periculum grave pro normaliter constitutis? *Respondetur,* circa

plures actus auctores consentiunt, ut in exemplis datis; circa alios controvertitur, v. g. de picturis nudis aspiciendis. Formetur conscientia juxta regulas probatas.

(Cf. Ojetti, *Synopsis, s. v. Aspectus;* Bucceroni, *Comment. IV, Cap. I.*)

DE ACTIBUS CONSUMMATIS JUXTA NATURAM

Fornicatio. Præcisione facta a malitiis aliis in concreto annexis, definitur: *"Copula naturalis extra-matrimonialis;"* si vero in concreto definiendus seu potius describendus sit actus *simplicis* fornicationis a quo excluduntur aliæ malitiæ, est: *"Copula soluti cum soluta ex mutuo consensu."*

Soluti cum soluta, i. e. a matrimonio, sed etiam a voto continentiæ, affinitate, cognatione, ut sit *simplex.*

Copula, i. e. actus generativus.

Ex mutuo consensu; ut a *stupro* et *raptu* distinguatur.

N. B. I. Est *mortale,* (a) "Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio . . . non possidebunt." Gal. v. 19-21; I. Cor. VI, 9; Ephes. V, 5. (b) *Prop.* 40 *damn.* ab Innoc. XI: "Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur." (c) Importat inordinationem, nocumentum proli et societati, tollendo certitudinem prolis, privando prolem cura patris. Cf. II, II, q. 154, a. 2; Vermeersch, *De Cast., n.* 304.

II. Quoad *integritatem confessionis* circa hæc peccata, (a) *circumstantia inductionis* probabiliter non est explicanda; (b) per se non est aperienda *diversitas personarum;* (c) *abruptio copulæ* debet generatim aperiri, nam (1) dicere *"actus impudicus"* ubi nulla est seminatio, omittit mentionem *affectus fornicarii,* (2) ubi vero est seminatio extra vas intenta, habetur addita *malitia* onanismi seu mollitiei. (d) Circumstantiæ *concubinatus* (i e. frequentatæ fornicationis) et *meretricii* (i. e. promiscuæ) non per se sed sæpe ratione scandali vel occasionis, aperiendæ sunt.

Adulterium est *copula cum alterius conjuge.*

N. B. Præter læsionem castitatis habetur læsio justitiæ (contra conjugem proprium vel co-operatione contra conjugem alterius vel utroque modo). Hinc omnino expri-

mendæ sunt circumstantiæ istæ. Neque vitatur adulterium per consensum mariti complicis. *Cf. Prop.* 50 *damn. ab Innoc. XI.*

Accedit malitia adulterii in peccatis contra naturam et impudicitiæ inter ligatam et solutam personam vel inter ligatas, nam injuria infertur conjugi.

Incestus—cum *consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesiâ pro matrimonio prohibitos.*

N. B. I. Est etiam graviter contra *pietatem*; ergo exprimenda hæc malitia. Præterea tactus impudici inter conjunctos contrahit malitiam incestus.

II. Probabiliter non adest incestus inter eos qui ligantur impedimento *publicæ honestatis.*

III. Probabiliter non incurritur malitia incestus, si jam obtinuerint dispensationem ab impedimento.

IV. Probabiliter non est exprimendus gradus etiam in primo gradu lineæ rectæ. Cf. Vermeersch, n. 315.

Sacrilegium *est violatio loci, rei, vel personæ sacræ per actum venereum.*

Personæ quodvis peccatum carnis sive externum sive internum a persona vel cum persona ligata voto solemni vel religioso castitatis, aut susceptione Ordinis sacri. Si utraque pars ligatur, debet exprimi. (Violatio voti simplicis et privati castitatis addit specialem malitiam etiam, sed dubitatur an sit sacrilegium stricte dictum). Non necesse est dicere an votum sit simplex an solemne, cum probabiliter violatio simplicis sit sacrilegium. Neque necesse est exprimere duplicem titulum, v. g. sacerdotii et professionis.

Loci—Non peccata mere interna, nisi desiderium patrandi in Ecclesia.

Non oratoria privata vel semi-publica; sed solum locus ab Episcopo consecratus ad divina vel simpliciter benedictus a tecto ad pavimentum, et cœmetaria. Excluduntur sacristiæ, claustrum, cellæ, tectum.

Res—i. e. Sacramenta, vasa consecrata, reliquiæ, imagines, vestes et ornamenta cultus.

Stuprum sive sumatur ut *oppressio violenta mulieris non consentientis,* sive ut *violens concubitus cum virgine,*

sive ut *defloratio virginis,* hæc sunt notanda; circumstantia *virginitatis* ex se non est explicanda. Circumstantia *violentiæ* etiam moralis est aperienda, utpote addens malitiam injustitiæ. (CC. 2357, § 1; 2358, § 2.)

Raptus: seu *violenta abductio explendæ libidinis causa* habet malitiam injustitiæ illatæ sive personæ abductæ, sive parentibus sive utrisque.

(In alio sensu adhibetur vox *in jure. Cf. De Matrimonio.*) (C. 2353; Verm., 319.)

DE ACTIBUS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM

Pollutio *est voluntaria seminis humani emissio extra copulam.*

Alia nomina sunt *mollities, masturbatio, manustupratio,* quamvis inter modernos quædam sunt distinctiones faciendæ.

Voluntaria:—i. e. aut deliberate procurata (*voluntaria in se*) aut prævisa et permissa (*voluntaria in causa*). Loquimur de utroque sed de his solis.

(Extra utrumque genus est *naturalis* emissio, quæ tum in statu vigiliæ tum in somno, sive ex causa intrinseca corpori sive ex causa ei extrinseca vel physica vel morali fieri potest. Includi debet sub hac naturali et involuntaria pollutione sequela istius irresistibilis pruritus partium genitalium qua legitime procuratur—præsertim a quibusdam fœminis—solatium et remedium.)

Emissio:—In maribus extra membrum genitale, in fœminis tum extra tum intra.

Triplex distinguendum est elementum:

a) physiologica commotio membrorum—erectio.
b) sensus voluptatis venereæ.
c) ipse fluxus.

Quandoque haberi possunt motus physiologici sine sensu voluptatis, quandoque sensus voluptatis sine commotione genitalium, quandoque ipse fluxus sine utroque alio elemento, ut in statu morbi. Sed ex definitione non habetur pollutio actualis sine fluxu.

Seminis:—i. e. in *viro* quod continet *spermatizoides* seu materiam vere et stricte prolificam; in fœmina mucus vaginalis vel uterinus reddens actum conjugalem faciliorem.

(Datur præterea in viro fluxus alterius humoris non elaborati in testiculis neque prolifici, qui *distillatio* vocatur.)

Extra Copulam:—in hoc habetur specialis malitia hujus peccati.

I. Pollutio directa est semper peccatum mortale.

Rationes: I. *"Neque molles . . . regnum Dei."* I Cor. VI, 10.

II. "Mollities jure naturæ prohibita non est: Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona." *Prop. condemnata ab Innoc. XI.*

III. Intrinseca repugnantia cum fine naturæ et bono communi ut talis actio voluptuosa unquam permittatur.

Mortale est (1) Velle sive ut finem sive ut medium.

(2) Procurare sive per se sive per alium.

(3) Causare in alio.

(4) Etiam acquiescere cum plena deliberatione brevissimo tempore quando sponte exsurgit, aut promovere.

(5) Etiam ad servandam vitam permittere.

II. Pollutio indirecte (seu in causa) peccaminosa judicanda est juxta proximitatem seu efficacitatem causæ et absentiam rationis sufficientis ad agendum.

a) Est *mortale,* si causa est *per se efficax* seu *proxima,* seu *graviter influens,* et non datur ratio relative gravis ad agendum.

Jamvero in hac re sola causa per se efficax est peccatum grave in genere luxuriæ; et hoc posito certe deest ratio gravis agendi.

b) Est veniale, si causa est *remota* seu *leviter influens* et non datur ratio agendi.

Exempla talium sunt peccata venialia in genere luxuriæ et forsan quædam alia peccata, v. g. ebrietas.

c) Nullum erit peccatum, si causa ex se non influit et habetur ratio relative gravis eam ponendi.

Talis ratio erit necessitas vel utilitas ulla seria.

Distillatione:

"Directe et data opera procurare quamcumque distillationem, etiam levem nullo modo potest excusari a peccato mortali . . . non potest esse sine notabili carnis rebellione (i. e. si sit notabilis) ; unde sicut graviter peccat qui notabilem commotionem procurat, ita qui magnam procurat distillationem. (Si sit levis) revera quæcumque distillatio secum fert aliquam commotionem." S. Alph., n. 477.

1°. "Porro sicut ipsa pollutio, indirecte tantum voluntaria in causa posita, tantum peccatum est, quantum est ipsa causa posita in genere luxuriæ, ita eadem ratione discurrendum de distillatione et commotione libidinosa," Sporer 659. 2°. "Distillatio non libidinosa, quæ scilicet contingit sine ulla delectatione, vel voluptate sensuali venerea (quamvis adsit levis erectio genitalium) non est peccatum. Ratio est, quia si talis distillatio esset peccatum contra castitatem, ideo esset vel quia esset delectatio venerea, vel quia esset proximum periculum ad delectationem veneream, vel saltem quia dispergitur ille humor. Non 1um; quia nos loquimur de eo distillationis modo, in quo nulla adsit delectatio sensualis: non 2um; quia si illius humoris effusio nullam affert delectationem sensualem, non est ratio, cur ipsa sola spectata afferat periculum proximum in illicitam voluptatem veneream consentiendi: neque 3um; quia ille humor extillans sine voluptate non est semen, nec ejus effusio generationi nocet, sicut seminis effusio." Sporer 660.

Sodomia (1) in sensu *strictissimo* est *concubitus consummatus masculi cum masculo* in vase præpostero. In hoc casu habetur tum sexus indebitus tum vas indebitum. Hinc vocatur *perfecta et strictissime dicta* et quando sodomia simpliciter reservatur, includitur sola hæc forma.

(2) Innaturalis imitatio coitus inter mulieres effecta qua corpora conjunguntur. Est *vera* sodomia, quatenus sexus est indebitus, sed *minus stricte dicta.* Eadem specifica malitia contrahitur ac in priori casu.

(3) In concubitu innaturali inter virum et fœminam, habetur sodomia *imperfecta,* i. e. probabiliter specie distincta ab alia.

N. B. Relate ad confessionem, (1) distinguendi sunt *actus impudici cum pollutione* a vero crimine *sodomiæ,* (2) dato affecto ad indebitum sexum habetur peccatum sodomiæ etiamsi tactus fiant in aliis partibus; circumstantia pollutionis aperienda est, non autem utrum sit agens vel patiens.

Bestialitas: Coitus cum bestia vel conjunctio corporum cum affectu ad bestiam.

Ad confessionem, non est declaranda species bestiæ neque sexus.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium: Ex., xx; 16.

Etsi videatur materia directa hujus mandati inclusa esse sub mandato *secundo*, notandum est ibi tractatum esse *falsum testimonium sub juramento* et præcise in quantum *contra Deum* injuria feratur. Hic vero agitur de officiis *erga proximum*. Et quidem proximo debetur *reverentia* de qua in 4°, *integritas vitæ* de qua in 5°, *integritas carnis et jurium conjugalium* de qua in 6°, *intactum dominium rerum exteriorum* de quo in 7°, et præterea **Immunitas ab effectibus deordinatæ locutionis** *qua læderetur aut commercium sociale, aut fama, honor, bona existimatio.* Peccatur violando veracitatem, fidelitatem, justitiam, caritatem erga proximum in his.

Mendacium

I. **Mendacium est locutio contra mentem.**
Simulatio—si signo alio exprimitur aliquid difforme a mente.
Hypocrisis—si simulatio versatur circa personam loquentis.
Restrictio Mentalis—actus mentis tribuentis alium sensum præter obvium et naturalem.
Pure—si verus et intentus sensus nequit colligi ex circumstantiis.

II. **Mendacium jocosum—quod nec prodest nec obest sed ad delectandum profertur.**
Officiosum—quod non affert injuriam sed prodest vel loquenti, vel tertiæ personæ.
Damnosum—quod injustum et speciale damnum infert alicui.

III. **Mendacium est intrinsece malum sicut est restrictio pure mentalis.**
Ex se veniale, sed ratione injustitiæ annexæ est ex genere suo mortale.
Restrictio late mentalis licita est si habetur ratio proportionata adhibendi.

I. Definitio a S. Thoma tradita est *essentialis*. Exprimit hæc definitio difformitatem illam intrinsecam qua degradatur natura rationalis in perverso usu facultatis nobilissimæ externæ. Loquela est complementum intellectus humani, ad hunc solum finem data ut per eam judicia mentis manifestentur.

Alia signa externa quæ adhibentur ut media communicandi judicia sunt locutiones æquivalentes.

Additio Scotistarum *"cum intentione fallendi"* verificatur *ordinarie* in mendaciis. Juxta quosdam reconciliari possunt duæ definitiones si admittatur *implicita intentio fallendi* ut elementum essentiale. (Cf. Prummer, II, n. 166). Nihilominus etiam implicita intentio fallendi videtur abesse posse in mendacio. (a) *"One can deceive by telling the truth and tell the truth with the intention of deceiving.* (b) *One can deliberately utter what one thinks to be false, without hope or intention of deceiving, e. g., to avoid self-conviction."* (Brosnahan, *Digests, p.* 71.)

II. Nequaquam confundendum est *mendacium jocosum* cum *joco* in quo verba, si materialiter et seorsim a circumstantiis sumuntur, discordia sint a veritate cognita.

Exempla *officiosorum* habentur in mendaciis prolatis ad evitandam punitionem, ad conciliandum favorem, ad adjuvandum proximum et ad similes utilitates, quando deest injuria.

Damnosum seu *perniciosum* mendacium non solum illud damnum late dictum et vagum infert quod consistit in deprivatione veritatis, sed insuper *strictum jus* alterius violat, v. g. calumnia, vel involvens deprivationem injustam bonorum, vitæ, etc.

III. Utrumque testamentum continet plures prohibitiones mendacii. *"Mendacium fugies,"* Exod. 23, 7; *"Non mentimini,"* Levit. 19, 11; *"Nolite mentiri,"* Col. 3, 9. (Cf. 8, 14. Eph. 4, 24.)

"Non pro vita tuenda licitum est mentiri." (*Innoc. III. C. Super eos de Usuris.*)

Doctrina Theologorum communis videri potest apud S. Thomam, II, II, Q. 100, a. 1, 3. Quodlib. 8, a. 144.

Argumentum præcipuum (in Ethica fusius traditum) deducitur ex perverso usu facultatis humanæ, qui contrarie opponitur primario ejus fini a Creatore intento.

Deinde a consequentiis legitime argui potest; nam si permitteretur mendacium, deficeret ista securitas quæ tanti momenti est in commercio sociali rite servando.

Quod tamen mendacium ex genere suo sit *leve* exinde constat quod oppositio ejus ad virtutem veracitatis non im-

portat serium malum alteri, neque denegationem alicujus stricte debiti. Imo neque ipsius societatis bonum serio patitur; nam ex una parte ipsi homines impelluntur ad remedium procurandum et ex altera parte non habetur innata vehemens inclinatio ad mentiendum.

Detractio

I. Detractio est injusta violatio famæ absentis.
Simplex; revelatio criminis veri.
Calumnia: appositio criminis falsi.
II. Detractio est grave ex genere suo, utpote contra justitiam.
III. Restitutio facienda. 1° famæ in quantum fieri potest, et est obligatio personalis: 2° damni temporalis inde provenientis, et est obligatio realis.

I. *Fama*: publica opinio de *excellentia* alterius, i. e. de bonitate morali. In stricto sensu materia detractionis non est nisi peccatum. *Defectus* sive naturales sive civiles (v. g. ignorantia, illegitimitas), imo *defectus morales* (imprudentia, etc.) non tollunt vel minuunt *famam* alterius. Nihilominus violatur justitia in his revelandis si damnum sequitur et violatur caritas si revelatio causat mœrorem subjecto, ut sæpe fit.

Absentis: Secus, erit contumelia.

Injusta: i. e. sine causa orta vel ab utilitate notabili revelantis, vel ab utilitate delinquentis, vel ab utilitate publica, vel a gravi utilitate aliorum. In his enim casibus jus fortius ad revelandum prævalet.

Sussuratio, quæ est *eminatio discordiæ inter amicos,* est gravius peccatum specifice ratione finis, et inde aperienda.

Calumnia—specifice diversa—"sed prout præcise est contra veracitatem, non est malitia mortalis"; Lugo.

II. Quod etiam simplex detractio sit peccatum grave constat ex SS. . . . I Cor. VI, 10; Prov. XIII, 1; Eccli. XLI, 15, et ex ratione, quatenus fama consistit in opinione hominum qua spoliatur quis per detractionem.

Non accedit nova malitia ex qualitate personæ cui detrahitur, neque ex qualitate peccati revelati, neque ex numero peccatorum. Idem enim est peccatum specie et remanet unum numero; proinde hæ circumstantiæ *per se* non sunt aperiendæ in confessione.

Valide per se absolvitur qui accusat se de una gravi detractione in ebrietate, adulterio, et blasphemia, et quidem falso.

casu quo revera coram pluribus accusaverit aliquem sacerdotem de Ratio est quia (1) probabiliter non mutatur species ex persona cui detrahitur, cum fama non distinguatur in species; (2) probabiliter numerus peccatorum quæ revelantur eorumque qualitas non multiplicant peccatum, nam una est existimatio; (3) probabiliter idem valet sive pauci sive multi audiunt.

Detractio admittit parvitatem materiæ. Exempla revelationum quæ *per se* continent culpam solum venialem sunt: (a) naturalis defectus, (b) civilis vel levis moralis defectus, (c) per verba generalia, (d) gravis peccati sed cum levi detrimento famæ, (e) de ignoto vel indeterminato.

Etiamsi generatim non sit grave revelare peccatum mortui, potest tamen esse et obligare ad restitutionem; nemo enim totus moritur. Præterea, ratio habenda est viventium et periculi scandali.

Non est mortale, quærere de causa captivitatis, dicere esse aliquos malos in magna congregatione vel ordine; quamvis possit quis mortaliter peccare detrahendo personæ morali, v. g. monasterio vel ordini.

N. B. (1) Revelator est nullius auctoritatis . . . non grave.

(2) Revelator injuste tractatus, quærit solatium ab amico . . . non grave.

(3) Unico prudenti, exclusa speciali malitia . . . probabiliter non grave.

(4) Unum grave, pluribus similibus jam cognitis . . . non grave.

III. Tum simplex detractor tum calumniator tenentur ad restituendam famam, sed non eodem modo; calumniator enim tenetur retractare dicta, etiam cum damno gravi proprio si graviter peccavit. Simplex detractor nequit retractare; attamen urget obligatio restitutionis eo modo quo fieri possit, etiam cum gravi damno proprio.

Periculum vitæ excusat a restitutione; item valde notabilis excessus proprii damni in restituendo. Excusant etiam (a) impossibilitas, (b) reparatio jam facta a judice, (c) indirectus modus lædendi, (d) condonatio etiam tacita, (e) carentia fidei in audientibus.

Realis obligatio transit ad hæredes.

Contumelia

Quid? Injusta læsio honoris præsenti irrogata.

Differt a detractione, (a) in qua *interna existimatio* læditur, dum, in contumelia *externa testificatio* honoris debiti negatur per appositum *signum contemptus;* (b) eo quod est per se *præsenti* (saltem moraliter, ut accidit quando coram legato vel statuæ ejus, vel etiam nomine adhibito in publice scriptis aut dictis significantur contemptus).

Quotuplex?

- *Verbo:*
  - *Convicium*: quando objicitur defectus naturalis animi vel corporis, injurii causa.
  - *Improperium*: si objicitur vilitas conditionis.
  - *Opprobrium* vel *simplex contumelia*: objicitur dedecus ob crimen.
  - *Maledictum*: ostenditur mala voluntas dehonorationis.
- *Scripto:* v. g. libello.
- *Facto:*
  - *Irrisio*: qua risu et verbis per modum joci quis illuditur ad verecundiam excitandam.
  - *Subsannatio*: qua motibus corporis idem intenditur.

Quale? Contra justitiam et caritatem; ergo *mortale ex genere.* Imo est gravius peccatum quam detractio. Sæpe leve fit ob imperfectionem actus.

Quamvis per se exigit restitutionem, sæpe non est urgenda, sive ex eo quod vix profutura admonitio prævideatur, sive ex periculo revocandi ruborem, sive ex præsumpta condonatione.

Si honor publice violatus est, debet satisfactionis cognitio ad eosdem pervenire. Sufficit ut per alium petatur venia nomine dehonorantis.

Ea satisfactio sufficit quæ requiritur a conditione offensæ personæ. Proinde sufficit ut Superior salutet vel invisat. Si offendens est æqualis vel inferior, debet ipse aut prius salutare, aut veniam petere, etc.

Si inhonoratus jam sumpsit vindictam, absolvitur offendens ab ulteriori obligatione.

Inter rusticos, per mutua convicia jam clausa est res.

Si quis jam punitus est a judice, probabiliter ad nihil aliud tenetur quoad satisfactionem.

Secretum

I. Quid? Etymologice est res occulta.

In hac materia "Res occlusa in cognitione alicujus cum onere silentii."

II. Quotuplex? (1) Naturale: cujus servandi obligatio oritur ex natura rei, scilicet ne proximus lædatur.

(2) Promissum: cujus obligatio oritur ex promissione data post revelationem.

(3) Commissum: cujus obligatio oritur ex silentio imposito a revelante et acceptato antecedenter sive explicite sive implicite.

III. Obligatio? Naturale in re gravi per se sub gravi.

Promissum juxta intentionem promittentis in materia gravi; generatim sub levi, quia ordinarie ex sola fidelitate.

Commissum per se sub gravi, ex justitia.

IV. Licita est revelatio secreti

Promissi, (1) *quoties sine promissione revelari debuisset.* Promissio enim non obligat ad illicitum. Præterea respondendum est judici vel superiori legitime quærenti.

(2) *quoties sine gravi incommodo proprio vel alieno servari nequit* (nisi expresse inclusum fuerit in promissione hæc circumstantia).

Commissi, *quando necessaria est ad avertendum grave damnum.*

a) *Commune,* (nam bonum commune est ipsa ratio prohibens revelationem. Notandum tamen est leve damnum commune quod involveretur, v. g. in evitatione punitionis rei, non esse causam sufficientem).

b) *tertii innocentis,* (quia caritas exigit ut liberemus innocentem, etiam cum damno nocentis. Hinc medicus potest monere sponsam in quibusdam circumstantiis. Notari debet cessationem obligationis valere solum in casu injuriæ adhuc inferendæ, et non v. g. ad liberandum alium injuste condemnatum).

c) *ipsius committentis,* (qui in quibusdam circumstantiis non est putandus irrationabiliter invitus, v. g. in casu occulti impedimenti matrimonii) ;

d) *proprium,* (etiam cum morte committentis; non enim censendus est recipiens cum tanto onere se obligare).

Naturalis, *quoties sine gravi incommodo nequit servari.* Applicandæ sunt regulæ caritatis et justitiæ. Si intercedat justitia, major ratio requiritur, et in dubio, non est applicanda regula "in dubiis libertas."

N. B. Inter recentiora decreta SS. CC. notandum est decretum S. C. Consist., 2 Jul., 1910, quo secretum servandum est in designandis illis qui ad Sedes Episcopales proponuntur in hac regione.

De Alienis Litteris

Aperitio et lectio est peccatum per se grave ex genere suo.

Est contra justitiam, nam secretum est possessoris.

Admittit hoc peccatum parvitatem materiæ.

Quandoque quis prudenter judicare potest litteras continere res levioris momenti.

Disputatur utrum sit peccatum grave componere fragmenta. S. Alphonsus putat esse grave; Lugo probabiliter negat.

Urget postea obligatio retinendi secretum.

Licet aperire et legere 1) *ex consensu sive scribentis sive recipientis,* 2) *ex regula vel consuetudine legitima,* 3) *ex necessitate avertendi grave damnum aut auctoritati publicæ, ut tempore belli, aut Superiori, aut privatæ personæ. Sed in omni casu debet dari solidum fundamentum judicii.*

N. B. Sæpe aperiuntur ex quadam levitate et tunc non est grave peccatum.

De Judicio Temerario

(*II, II, Q.* 60, *a.* 3)

Quid? *Categoricum et determinatum judicium de vitio alterius cui quis firmiter adhæret sine sufficienti motivo.*

Neque est dubium, neque opinio temeraria, quia continet deliberatam et indebitam exclusionem formidinis.

Quale? *Ex genere suo est mortale, quatenus opponitur justitiæ.* Jus enim proximi serio læditur ex se si apud *unum* deliberate minuatur fama.

Parvitas materiæ sæpe excusat a mortali sicut et imperfectio actus.

DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS

De Judicibus

Judex est persona publica a legitima auctoritate constituta ad justitiam vindicandam.

Natura officii exigit has **dotes**: *scientiam* legum et *prudentiam* in applicando, et si his notabiliter caret, tenetur comparare, aut si nolit vel nequeat, renunciare officium; *integritatem*, quæ si deest in sententiis, violatur justitia legalis et sæpe commutativa.

In dubio causæ *criminalis*, favendum est reo; causæ vero *civilis*, reddenda decisio juxta sequentes distinctiones:

Si possessio est certa—favendum possessori.

Si possessio est nulla vel dubia—standum est pro probabiliori parte; si æqua est probabilitas, aut dividendum est, aut liber est judex.

Quæstiones

I. Electus est sed laborat magna *deficientia* in scientia.

℟. Si est ulla spes acquirendi, potest interim non resolvere in dubio sine consultatione doctorum. Si nulla spes debet renunciare. Bucc. III.

II. Iniqua acceleratio vel dilatio causæ.

℟. Peccatum grave et tenetur compensare.

III. *Privata scientia cognoscit sontem; non probatur juridice.*

℟. Nequit condemnare talem, nam agit ut *persona publica* et debet juxta scientiam publicam pronunciare. Lugo tamen (*dist.* 37, *s.* 5, *n.* 54) concedit probabilitatem sententiæ permittentis ut princeps aliquando condemnet non convictum.

IV. *Privata scientia cognoscit innocentem, juridice damnatur.*

R. 1) *Tenetur liberare si potest.*

2) *Si non potest*:

I Sent. *Potest et debet proferre sententiam juxta alligata.* S. Thom. II, II, q. 64, a. 6, 3. Est persona publica et bonum publicum exigit ut ordo juris servetur. "Ille non occidit." Ita Sanchez, Tamburini et alii.

II Sent. *Non potest condemnare.* S. Alph., "valde probabilis." Damnare innocentem est intrinsece malum. S. A. 208; Noldin, n. 723.

III Sent. In civilibus et criminalibus minoris momenti debet condemnare; in criminalibus ubi de vita agitur, nequit. Cf. Bucc., p. 14; de verbis Lessii, L. II, nn. 78, 84; De Lugo, Disp. xxxvii, 44; D'Annib., 590, 29; Palmieri, 46.

Practice apud nos pertinet ad juratos qui suffragia dare debent juxta intimam persuasionem quam habent. Cf. Sebast, p. 197; Ferreres, II, 5; Arregui, p. 246; Pighi, II, p. 276.

V. *Quid de muneribus accipiendis?*

℟. Etiam excluso pacto de sententia ferenda, ipsa lex naturalis prohibet acceptationem munerum a judice ob periculum annexum. Similiter Jus Canonicum (C. 1624) et sæpe jura civilia eandem prohibitionem continent (exceptis esculentis et poculentis sponte oblatis). Quando ex dono ita accipiuntur munera, jus naturæ non obligat ad restitutionem. Quando jus positivum eam obligationem imponit, urget probabiliter solum post sententiam.

Habito pacto sive de sententia ferenda sive de causa acceleranda, semper est illictum accipere quidpiam ut pretium. Imo si ex pacto aliquid accepit ad ferendam sententiam justam, debet restituere, nam quod debetur ex justitia nequit esse materia novi contractus. Si vero ad sententiam *injustam* ferendam accepit, tenetur ad restituendum antequam feratur ista sententia; lata autem sententia injusta probabiliter ad nihil tenetur.

V. *Quomodo agendum a judice circa leges injustas et iniquas?*

℟. 1) Si lex est *contra Jus Canonicum, petat facultatem ab auctoritate ecclesiastica.*

Quoad privilegium fori, v. g. judex catholicus debet per se petere licentiam ordinarii ad judicandum clericum: sed sæpe præsumi potest licentia. Vix est gravis obligatio in locis quibus leges non agnoscunt privilegium. (Pighi II, n. 585.)

2) Si lex est *contra jus naturale vel divinum*, judex non potest aliquid præcipere quod est directe contra tale jus . . . v. g. jubendo ut actus idololatriæ vel fornicationis ponatur. Bucc. II, n. 21; Ferr. II, p. 5; Tanq., n. 7; Lehmk. I, n. 962; Ball. Opus Theol. de præc. part, no. 56.

II, II, Q. 60, a. 5, ad 1. *"Secundum eas non est judicandum."*

Hinc v. g. numquam liceret judici cogere fœminam ad coeundum viro cui civiliter tantum juncta est.

Aliqui tamen putant probabile judicem ad evitandum gravissimum incommodum posse jubere ut talis fœmina redeat ad cohabitationem cum viro tali. Co-operatio est proxima sed solum materialis quia lex non jubet coitum. Gennari Q. Mor., n. 410; Instr. S. Pœnit., 10 Mart. 1885, apud Monit. Eccles. IV, p. 1, p. 274, et Consult. Mort. XL, n. 1. Buccer. Cos., num. 92, p. 7; Pighi II, p. 277.

Quoad *pœnam* injustam infligendam, numquam potest pœnam gravissimam, v. c. mortem, ergastulum; si est pœna levis, probabiliter potest imponere ad evitandum gravissimum malum, e. g. privationem officii, et ratio est præsumptus consensus alterius.

Tandem est quæstio de applicatione iniquæ legis.

Multi tenent co-operationem judicis esse mere materialem; nam solum tollit effectus civiles per actum civilem inductos et non attingit ex professo ipsum vinculum matrimonii. Abutuntur conjuges forsan illa dissolutione civili. Ita Palmieri - Ball. VI, n. 818-826 (519 sqq.). Gen. II, 561; Tanq. III, 918; Noldin III, 672; Ferr. II, 4, Q. 6; Prummer II, p. 135; Ojetti Syndicus; Lehmkuhl II, (701) 921 nota; Genicot II, 561; Berardi. Juxta Wernz, eo quod decisiones datæ nullum contineant decretum generale in favorem rigidæ opinionis, "ab *absoluta* et generali propugnatione ipsius videtur esse abstinendum." IV, p. 703; "ex responso S. Pœn. ad Episc. Lucion., 4 June 1890, ad 1am, videtur sequi saltem in certis circumstantiis sententiam divortii a judice laico licite ferri posse." Cf. Gasp., n. 1247. Ita Wernz, IV, p. 702, ad calcem.

3) *An licet judici ferre sententiam divortii?*

a. Juxta primam sententiam, *non licet*. Bucc. II, n. 983; Gasparri, n. 1248. (Cf. Responsa—Ojetti, p. 387.)

b. Juxta aliam sententiam, licet quandoque—quatenus est sola materialis co-operatio in applicanda lege. Cf. Prummer p. 135, vol. II.

De Advocatis

Advocatus est qui sive vice alterius sive assistendo alteri ejus causam agit vel defensionem suscipit.

Obligationes advocati sunt (1) *erga clientem* cum quo quasi-contractum init, a) cognoscendi causam et legem, b) diligentiam adhibendi, c) fidelitatem servandi.

Peccat igitur et ad restitutionem tenetur si ex culpabili ignorantia vel negligentia ipsius damnum patiatur cliens, si revelet secreta clientis, si honorarium injustum extorqueat;

(2) *erga communitatem et adversarium,* a) non suscipiendi causam manifeste injustam, b) neque adhibendi media injusta.

Licet suscipere causam probabiliter justam (Salm. 29, 4, 38), sed de periculo tenetur certiorem reddere clientem, idque mature (S. Alph. IV, 223).

Non licet adhibere fraudem vel dolum contra adversarium vel judicem, v. g. leges vel abrogatas allegando vel falsas interpretationes proferendo (Sot. V, 3).

Si causam injustam suscipiat, tenebitur restituere adversario, nam contra ejus jus injuste co-operatus est.

De Reis

Reus est ille qui accusatur in causa civili vel criminali-*defendant.*

Quæstiones

I. An tenetur crimen fateri?

℟. Non tenetur juxta hodiernas leges crimen fateri; ergo licet ei uti restrictione mentali.

Si vero *legitime* interrogatus fuerit, tenetur judici interroganti veritatem fateri. (Supponuntur conditiones, v. g. forma legitima, prævia accusatio, semi-plena probatio. Cf. Can. 1646.) Excipitur tamen probabiliter casus gravissimæ pœnæ imminentis.

II. *Numquid licet fugere?*

Licet fugere: 1) *Si non vere deliquit;* quia injuste detinetur.

2) *Si vere deliquit sed nondum est damnatus;* quia nemo tenetur solvere pœnam ante sententiam.

3) *Si vere deliquit et damnatus est,* sed est in carcere solum detentionis causa, v. g. expectans *mortem* vel *pœnam aliam gravem;* quia "sententia non damnat

reum ad non fugiendum sed tantum ad non resistendum ministris cum sententiam exsequuntur." St. Alph. IV, 280; Sess. II, 31.

4) Si vere deliquit et in carcere subit pœnam, probabiliter potest, quia "*omnes pœnæ ita a lege statuuntur et* a judice decernuntur ut irrogandæ sint a justitiæ ministris." Si igitur sine violentia et perturbatione ordinis publici potest evitare, licet. Ita Bucceroni, n. 82, et D'Annibale, n. 601.

Aliqui dicunt reum ita condemnatum ad incarcerationem obligari ad obediendum, etiamsi sit perpetua incarceratio. Alii admittunt non pro tali neque pro ulla valde diuturna et dura incarceratione, quia judex nequit exigere heroicum istud—sed D'Annibale arguit judices eodem modo semper imponere.

III. *In fugiendo quid licet, quid non?*

Licet: 1) *Uti calliditate et astutiis,* decipiendo custodes, procurando ut absint, tradendo potum ut sopiantur.

2) *Violenter se eripere.*

3) *Vincula et carceres effringere*—quia si finis est licitus, media sunt. (S. Alph., l. c.) "damna hujusmodi sequuntur per accidens. Hinc etiam si liberantur alii, si damnum in custodes eveniat. Nec tenetur ad restitutionem —jure suo utitur. *Sed servata caritate.*

4) Vim adhibere contra alios, si injuste, etiam materialiter, detinetur: quia fiunt tunc injusti aggressores.

N. B. Absit scandalum, periculum hallucin., (Alex. VII damnavit Propos. 18. "Licet occidere falsos accusatores, falsos testes, aut judicem a quo iniqua certa imminet sententia, etiamsi non possit alia via damnum vitari"). Cf. Bucc., n. 80.

Non licet: 1) Mendacia proferre, quia est intrinsece malum.

2) Corrumpere custodes, quia est co-operatio.

Aliis: 1) *Suadere fugam, in se licet;* sed caritas habenda est erga incarceratum.

2) *Expedire fugam, non licet;* nam effringere carcerem est contra ordinem et quietem publicam. Essent contentiones inter cives et custodes.

3) *Suppeditare necessaria, licet;* S. Alph. 283, Probabilius. Lugo—Probabilius, d. 40, n. 56. "Licite datur alteri quo alter licite uti potest."

De Testibus

Testis est persona quæ in judicio adhibetur ad fidem faciendam.

Obligationes testium:

I. Testandi *sponte* nulla est obligatio ex justitia, etiamsi fugiat ne citetur. Potest tamen quis peccare contra caritatem vel etiam justitiam legalem si testimonium requiratur ad grave damnum commune vel privatum avertendum.

II. Tenetur ex justitia legali et obedientia (1) obedire citationi legitimæ, (2) ad jurandum et respondendum, (3) etiamsi ille solus noverit. *Excusatur* tamen ab hac obligatione (a) si revelatio involveret fractionem sigilli, (b) si nescit pro certo, (c) si revelatio involveret grave damnum sibi vel suis, (d) si est secretum commissum, (nisi bonum commune exigat revelationem, vel damnum imminens innocenti ab eo qui commisit secretum).

III. Tenetur ad restitutionem, (1) si alium læserit per perjuriam in bonis famæ vel fortunæ; (2) etiam cum periculo vitæ tenetur si in idem discrimen adduxit alium formali injustitia.

De Medicis

Præter ordinarias obligationes graves ex justitia vel ex caritate provenientes, v. g. habendi scientiam et peritiam et diligentiam requisitam, servandi rationem justi pretii, præstandi auxilium etiam gratis pauperibus graviter ægrotantibus, sunt quædam peculiares obligationes quibus astringuntur:

I. **Tutiora remedia** sunt adhibenda. Tenentur ergo
1) ad certum, omisso dubio;
2) ad probabilius, omisso minus probabili;
3) ad omittendum probabiliter nocivum extra casum desperatum;
4) ad obtinendum consensum ægroti, antequam adhibeant probabiliter nocivum in casu desperato.

Moderatus usus morphii ad dolores alleviandos est licitus. Regulariter non licet dare morphium ad mortem placidam obtinendam quando infirmus privabitur ratione per totam agoniam. Quando infirmus acceperit sacramenta et bene paratus fuerit, sacerdos potest passivum se habere si alii ministrant.

II. **Secretum professionale est servandum strictissime.** Ex generali doctrina de secreto servando constat medicum non teneri semper ad totam veritatem manifestandam etiam judici interroganti. Ipsum bonum commune exigit ut secreta professionalia stricte serventur.

Duplex præsertim est casus qui creat aliquam difficultatem: (1) si *majus* bonum commune exigat revelationem, ut evenit, v. g. in casu morbi valde contagiosi cujus celatio periclitaret communitatem; (2) ad avertendum magnum et injustum damnum imminens innocenti ab eo qui commisit secretum.

In his casibus, si periculum est *certum*, non tantum *licet*, sed ex caritate *tenetur* medicus protegere bonum commune vel innocentem. Si periculum est dubium, certe non est obligatio revelandi; imo, juxta quosdam, neque licita est revelatio. Ob probabilitatem tamen oppositæ sententiæ, practice liber est ad manifestandum secretum.

Colligitur medicum non posse revelare (1) societati assecurationis quærenti de morbo alicujus (nisi medicus agat pro societate), (2) carentiam ovariorum futuro sponso, (3) syphilidem certo curatam futuro sponso.

De ultimo casu sunt quædam incerta quoad facta. Cf. Vermeersch, p. 42 et 43.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

Præcepta ecclesiæ sunt aut universales aut particulares. Ut quis cognoscat omnia præcepta universalia, percurrere debet totum Codicem Juris Canonici. Præcepta particularia adhuc numerosiora sunt; variantur enim juxta diversas leges conditas pro diversis locis vel personis ab auctoritate ecclesiastica competenti.

Solent theologi et catechistæ moderni seligere quædam ex præcipuis præceptis universalibus, eaque populum docere. (*Cf. Catech. B. P. Canisii*, 1556, *in Germania publicatum; Catech. Edm. Auger, Lugdunensi editum*, 1563; *Con Narbonn*, 1551; *imo catalogus mandatorum Ecclesiæ invenitur* etiam ex præcedenti sæculo in scriptis S. Antonini.) Deest uniformitas in catalogis his conficiendis, nam consuluntur peculiares necessitates diversarum regionum et temporum in singulis conficiendis, dum ratio brevitatis simul habetur.

Retinemus numerum et ordinem Catechismi Baltimorensis, mutatis iis quæ a novis dispositionibus juris communis afficiuntur in his præceptis explicandis.

DE DIEBUS FESTIS

De Potestate Indicendi

§ 1. *Dies festos* itemque dies abstinentiæ et jejunii, *universæ Ecclesiæ communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremæ Ecclesiasticæ auctoritatis.*

§ 2. *Ordinarii locorum peculiares suis diœcesibus seu locis dies festos* aut dies abstinentiæ et jejunii *possunt, per modum tantum actus, indicere.* C. 1244.

Auctor legis cujusvis circa festa universalia est solus Romanus Pontifex. Dubitatum fuit antea de potestate ***Ordinarii loci*** circa constitutionem festi pro suo territorio. A pluribus annis practice restricti sunt ob Constitutiones Pontificias et ob responsa SS. CC. Nunc vero potestas eorum determinata est hac distinctione: *Nequeunt festa indicere* ***in perpetuum;*** *possunt* ***per modum actus.***

Nequit igitur Superior religiosus etiam Supremus religionis clericalis exemptæ tale festum constituere etiam per modum actus; non enim venit sub titulo *Ordinarii loci.* Optime vero potest *Præfectus Apostolicus, Vicarius Apostolicus, Vicarius Generalis, Administrator, Abbas vel Prælatus nullius,* (C. 198, § 2) per modum actus, i. e. pro ea vice, festum locale *indicere.*

De Potestate Dispensandi

§ 1. *Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus justaque de causa, possunt subjectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstimentiæ et jejunii vel etiam utriusque dispensare.*

§ 2. *Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus aut publicæ valetudinis, possunt totam quoque diœcesim seu locum a jejunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare.*

§ 3. *In religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem habent Superiores ad modum parochi, quod attinet ad personas, de quibus in can.* 514, § 1. C. 1245.

Facultas dispensandi latior quoad leges communes de observantia festorum conceditur

Ordinariis locorum qui in singulis casibus possunt singulas suas familias et peregrinos,

Parochis qui erga suos eadem facultate gaudent,

Superioribus religionis clericalis exemptae qui eamdem dispensationem concedere possunt non solum professis subditis sed "novitiis aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmæ valetudinis."

Vigens Disciplina

§ 1. *Dies festi sub præcepto in universa Ecclesia sunt tantum: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis et Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis Almæ Genitricis Dei Mariæ, Sancti Joseph ejus sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.*

§ 2. *Ecclesiastico præcepto dies festi Patronorum non subjacent; locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem.*

§ 3. *Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur.* C. 1247.

Præsenti lege supprimuntur omnia alia festa sub præcepto etiam particularia, utcumque fuerint introducta. Acta Ap. Sed., X, 4, p. 170.

In Statibus Fœderatis quatuor ex enumeratis legitime abolita sunt. Manent igitur præter dies dominicos solum sex: *Nativitatis, Circumcisionis, Ascensionis, Immaculatæ Conceptionis, Assumptionis, Omnium Sanctorum.*

DE ABSTINENTIA ET JEJUNIO ECCLESIASTICO

Duplex existit distincta lex — Abstinentiæ et Jejunii. Verum est aliquem posse unico actu violare utramque legem, v. g. sumendo magnam cœnam ex carne feria sexta majoris hebdomadæ, sed in confessione duplex violatio revelari debet.

Lex Abstinentiæ prohibet certas *qualitates* cibi; *"vetat carne jureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.* C. 1250.

Caro, i. e. animalium calidi sanguinis, in terris viventium et respirantium. Ranæ, limaces, testudines, ostrea, cancri, non cadunt sub prohibitione. Circa quædam animalia potest esse dubium, v. g. de lutris, castoribus et fulicis. Si neque ex structura neque ex virtute nutritiva neque ex alio signo scientifico facile solvitur, adhibendum est morale criterium æstimationis communis. Si de ipsa consuetudine dubitatur, licet comedere.

Jus ex carne (soup, broth). Ait Bucceroni "ubi sit usus, toleratur jusculum carnis coctæ." Nequit admitti—A fortiori prohibetur extract of beef. Ferreres cum multis admittit *pepsin.*

Ova et lacticinia, i. e. omnia quæ originem ducunt ex animalibus et quæ non sunt caro.

De gravitate materiæ cf. Ferreres, *n.* 599, *p.* 386.

Lex jejunii restringit quantitatem ad *unicam comestionem* in die; sed permittit ut aliquid cibi sumatur mane et

vespere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine. C. 1251.

Unica comestio est essentia jejunii. Ecclesia potest moderare alia elementa et adhuc retinere jejunium (II, II, Q. 147, a. 6). Ita reapse abolet antiquam prohibitionem permixtionis ciborum et sancit libertatem olim a consuetudine introductam circa horam prandii. *"Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere, nec serotinam refectionem cum prandio permutare."* C. 1251, § 2.

Tempus.

Sola Abstinentia: Singulæ feriæ sextæ.

Abstinentia et Jejunium { a. feria quarta Cinerum. b. feriæ sextæ et sabbata Quadragesimæ. c. feriæ Quatuor Temporum. d. vigilia Pentecostes, Assumptionis, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.

Solum Jejunium: reliquæ omnes dies Quadragesimæ.

N. B. "Diebus dominicis vel festis de præcepto lex abstinentiæ, vel abstinentiæ et jejunii, vel jejunii tantum cessat, excepto festo tempore Quadragesimæ, nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem." C. 1252.

Cessatio legis in festis præcepto, valet pro iis tantum festis quæ actu vigent in loco. Cf. Act. Ap. Sed., X, 4, p. 170.

§ 1. *Abstinentiæ lege tenentur omnes qui septimum ætatis annum expleverint.*

§ 2. *Lege jejunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo ætatis anno ad inceptum sexagesimum.* C. 1254.

Indulta. Leges generales jam citatæ non immutant indulta particularia, vota, regulas cujusvis religionis vel instituti approbati. C. 1253.

Ut habeatur brevis conspectus disciplinæ vigentis apud nos subjicitur summarium Indultorum pertinentium ad hanc regionem, omissis iis quæ jam obsoleta sunt ob concessiones novas in jure communi.

a. 3 *Aug.*, 1887. Licet comedere carnes diebus Sabbati in Quadragesimo, exceptis sabbato secundo (*Q. T.*) et ultimo ante meridiem.

b. Quoad operarios hujus regionis, Ordinarii habent facultates (15 Mart., 1895, ad decennium et renovatas) permittendi usum carnis semel in die operariis (et extenditur familiis) omnibus diebus in anno præter (*a*) *Fer. VI*, (*b*) *IV Ciner.*, (*c*) *Sabbat. Sanct.*, *A. M.*, (*d*) *Vigil. Nativ.*

c. Indultum concessum est *nostris militibus et nautis* vi cujus licet edere carnes quovis anni die præter hos dies: *IV Cin.*, *Fer. VI in Parasc.*, *Sabbat. Sanct.*, *A. M.*, *Vigil Nativ.*

DE ANNUA CONFESSIONE

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri. C. 906.

Iisdem fere verbis Concilium Lateranense IV (an. 1215) imposuit legem confessionis annuæ. Notabiles sunt tamen quædam mutationes quæ recentioribus legibus inductæ sunt. Ita Concilium: ***"Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti."***

Anni discretionis: intelligendi sunt juxta additum *"ad usum rationis."* Qualis vero usus rationis requiritur, magis explicite traditur in decreto *"Quam singulari,"* 8 *Aug.*, 1910. Est igitur tempus quo *"puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum sive supra sive infra."* Neque expectandum est tempus quo cognoscit catechismum totum. Sufficit enim ut *"fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat,"* et peccatum mortale aliquomodo distinguat ut grave Dei offensum.

Tenetur omnia peccata sua confiteri: obligatio est gravis, obligans omnes fideles qui usum rationis habentes, peccatorum mortalium conscii sunt. Etiam pueri rationis compotes qui septimum annum nondum expleverint subjacent huic legi. (*Cf. Responsum Emin. Card. Gasparri*, 3 *Jan.*, 1918; *A. E. R. March*, 1918.) Antea communissima fuit sententia quosdam antè septennium subjici huic legi (Cf.

Sporer, n. 425, D'Annib. III, n. 377) ; nunc vero est omnino certum, nam expresse cavetur de inclusione talium.

Quod ille qui immunis est a mortali peccato non tenetur confiteri, colligitur ex ipso scopo hujus legis ecclesiasticæ, qui est ut determinetur quoad tempus lex divina obligans ad confitendum. Sed obligatio ista non est nisi quoad mortalia. Præterea, tum in Lateranensi tum in Codice *peccata omnia* sunt aperienda; sed noluit Ecclesia obligare ad omnia *venialia*—ergo de *mortalibus* agitur. (*Cf. S. Alph., L. VI, n.* 667, *qui vocat hanc sententiam communem et veriorem*).

Saltem semel in anno: Propter legem ecclesiasticam communionis paschalis et aliam legem confitendi mortalia ante communionem, consuetudo inducta est computandi annum de quo hic agitur a ***paschate ad pascha.*** Multi theologi tribuunt vim legis huic universali consuetudini, quamvis admittant quod stricte annus computandus esset ab initio Januarii ad diem ultimum Decembris. (Cf. Suarez, *De Pœnit. Disp.* 36, *sect.* 3, *n.* 8.) Certe licet hoc modo computare etsi ultra 365 dies annus extendatur. Sed ille qui immunis est a mortali, certe non obligatur ad confitendum tempore paschali. Imo qui habet mortalia, *per se* non tenetur ad confitendum tempore paschali, ob probabilitatem alterius sententiæ de modo computandi, i. e. ***juxta annum civilem.*** (Cf. Viva, *De Pœnit., Q.* 4, *a.* 3, *n.* 4, et Lugo.) Per accidens sæpe tenebitur; v. g. ratione communionis paschalis, ob periculum mortis, ex caritate erga seipsum, quia prævidet impedimentum confitendi alio tempore.

Si quis omiserit (culpabiliter vel inculpabiliter) confessionem intra annum, multi auctores cum S. Alphonso et Suarezio dicunt eum probabilius teneri ad confitendum ***quamprimum*** detur occasio post annum elapsum, eo quod ecclesia hunc limitem ut minimum apposuerit (*"saltem"*), ideoque non ad finiendam obligationem sed ad eam urgendam. *Suarez* ait: *"quo magis voluntarie differt confessionem, eo magis ac magis peccare."* (*Disp.* 36, *sect.* 4, *n.* 2.) Consentit *Lugo* (*Disp. XV, n.* 177) quoad illud *"quamprimum."* *Busembaum* qui allegat etiam *Bonacinam* (*Q.* 5, *Sect.* 2, *punct.* 4, *n.* 30), tenet talem "toties peccare mortaliter, quoties *oblatam occasionem neglexit.*" Inter recentiores auctores respondent huic quæstioni in eodem sensu: Fer-

reres, Prummer, Noldin, Ojetti, qui dicunt absolute talem teneri ad *quamprimum confitendum*. Lehmkuhl negat obligationem confitendi ante finem novi anni per se urgere. Et quidem major pars auctorum admittit cum S. Alphonso solidam probabilitatem hujus sententiæ negativæ quæ fuit sententia Laymann, Dianæ, Valentiæ (Cf. S. Alph., L. VI, n. 668; Bucceroni, II, n. 1561.)

Confessio dilata ultra annum et in initio novi anni peracta sufficit ad implendum præceptum utriusque anni, si computatur annus a Januario ad Januarium. Ita Lugo (*Dist.* 15, *n.* 180, *De Pœnit.*) cujus ratio est quod æquo jure teneretur ad plures confessiones annuas omissas complendas post conversionem suam, quod certo est contra sensum fidelium et praxim ecclesiæ. Hanc sententiam ut probabilem admittunt multi auctores; v. g. Ball-Palm., Ojetti, Bucceroni, Lehmkuhl, Noldin, Prummer. Ipse Suarezius admittit in sententia Lugonis de computatione anni. Item S. Alphonsus, dummodo pœnitens manifestat peccata mortalia novi anni. (*n.* 668.)

Qui venialia sola confessus est hoc anno (et habet mortalia oblita in ista confessione, vel jure reticita sive reservata sive non, aut postea incidit in mortale) probabiliter per se non tenetur ad confitendum iterum hoc anno. Ita Ballerini-Palmieri, quos citant et approbant Ojetti, Genicot, Noldin. Eamdem probabilitatem admittunt Bucceroni (*n.* 1556) Struggl, etc.

Quibus omnibus perpensis probabilitatibus, sequentes resolutiones practicæ admitti debent (præcisione facta ab obligatione per accidens, præsertim ratione Communionis paschalis, quæ sæpe adest).

I. Ad confitendum ipso tempore Paschali nemo *per se* tenetur; *per accidens* potest; i. e. ratione communionis paschalis.

II. Qui omittit præcepti impletionem hoc anno, certe adimplet postea *unica confessione* obligationem utriusque anni.

III. Qui hoc anno venialia jam confessus est, et postea committit mortale, nequit stricte obligari ad aliam confessionem hoc anno instituendam.

Idem dicendum de eo qui omiserit peccata grávia ex oblivione, (Cf. Ojetti I, n. 1465).

IV. Qui habens reservata, propter necessitatem confessus fuerit alicui non habenti facultatem circa ea, nequit cogi ad iterum confitendum intra annum. (Cf. Ojetti I, n. 1465, qui Croix, Lib. VI, n. 2030, et D'Annib. III, 378, (8), allegat et approbat).

V. Qui initio anni civilis confessus fuerit, etsi immediate post commiserit peccatum lethale, nequit per se cogi ad iterum confitendum ante diem 31 Decembris anni insequentis. (B. P. V, 695; Ojetti, l. c. n. 1464.)

VI. Non tenetur quis confiteri *statim* seu *quam primum* propter periculum obliviscendi. (Lugo XV, 182, S. A. VI, 671, 6, D'Annib., l. c., et I, n. 167, 34.)

VII. Tenetur nunc confiteri qui prævidet impedimentum confitendi per totum reliquum annum. (Cf. D'An., l. c. I, Ojetti, l. c.; S. Alph., n. 671.)

Notari præterea debet hunc canonem omittere verba *"proprio sacerdoti"*; præcedens enim canon diserte approbat interpretationem jam communiter datam huic inciso Lateranensi. Ita legitur Can. 905: **Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri.**

Præcepto confitendi peccata non satisfacit qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam. C. 907.

Alexander VII damnaverat hanc propositionem (14am) *"Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ."*

Cf. Viva in hanc propositionem et Sporer, n. 529. Probabiliter tamen satisfacit per confessionem involuntarie nullam.

DE COMMUNIONE PASCHALI

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiæ sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. C. 859, § 1.

Canon hic ex magna parte concordat cum Canone 9, Sessionis 13, Conc. Trid.: *"Si quis negaverit omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit."*

Attamen determinat magis præcise novus Codex *annos discretionis.* Sicut in præcedenti præcepto, eruenda est significatio hujus phrasis ex decreto *"Quam singulari,"* 8 *Aug.*, 1910, i. e. tempus *"quo puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum sive supra sive infra."* Ad communionem primam recipiendam et ad cadendum sub hoc præcepto Ecclesiastico nihil aliud requiritur quoad intelligentiam quam ut *"fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat atque Eucharisticum panem a communi et corporali distinguat."* (*Cf. Decretum citatum.*)

Unica exceptio quæ explicite ponitur (suppositis utique casibus impotentiæ physicæ vel moralis) est illorum qui velint obsecundari consilio confessarii qui ob causam rationabilem communionem aliquantisper deferendam judicaverit. De hac exceptione, quæ iisdem verbis invenitur in *Cap. Omnis, Concil. Later. IV,* notandum est, (1°) *pœnitentem vi illius non teneri ad abstinendum;* (2°) *pœnitentem, hujusmodi consilio dato, non obligari ad communionem paschalem;* (3°) *confessarium legitime posse tale consilium præbere.*

Si quæritur qualis sit *causa rationabilis,* respondetur illam multiplicem occurrere posse, v. g. timor ne adsit periculum scandali, major utilitas spiritualis pœnitentis ex dilatione communionis, etc. Confessarius (proprius sacerdos) judex est tum dispositionis tum opportunitatis.

Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in albis; sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adjuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimæ, vel prorogare, non tamen ultra festum sanctissimæ Trinitatis. C. 859, § 2.

Retinetur *tempus paschale* prout in jure communi jam antea statutum est. Quod vero concessum est antea Episcopis, relate ad protactionem ultra duas hebdomadas, (*S. C.*

C., 19 *Nov.*, 1616, *Ferreres v. Eucharistia, n.* 10. Cf. Bucceroni, II, *n.* 1563), magis exacte determinatur hoc canone.

Quoad parochos, qui juxta quosdam auctores habebant quamdam potestatem protrahendi tempus in singulis casibus, nihil prorsus in codice dicitur. Sufficienter providetur pro talibus casibus in canone præcedenti, juxta quem proprius sacerdos ob rationabilem causam permittere potest dilationem. Etsi apud antiquos *proprius sacerdos* restringebatur ad *parochum*, Codex admittit sensum modernum. In nostra hac regione habetur indultum vi cujus *a prima dominica Quadragesimæ* incipit tempus paschale et perdurat usque *ad festum SS. Trinitatis;* quod quidem indultum Apostolicæ Sedis vigorem suam adhuc retinet.

Suadendum fidelibus ut huic præcepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto præcepto certiorem facere. C. 859, § 3.

Agnoscit Ecclesia *utilitatem* accipiendi communionem paschalem in propria paroecia eamque praxim urget. Attamen nulla imponitur *obligatio* et in hoc sancitur consuetudo quæ diu invaluit permittendi ut alibi recipiendo fideles legem ecclesiæ adimpleant.

Præter obligationem impositam sacerdotibus *suadendi fidelibus*, alia est obligatio ipsis fidelibus incumbens *certiorem reddendi proprium parochum* si alibi quam in propria paroecia satisfecerint præcepto, non tamen obligant hæ leges sub gravi, ut ex modo proponendi, fine legis et mente legislatoris colligi potest. (Cf. Ferreres, I, n. 590.)

Præceptum paschalis communionis adhuc urget si quis illud, præscripto tempore, quavis de causa, non impleverit. C. 859, § 4.

Qui non recipit communionem tempore paschali, teneter sub gravi illam sumere ante novum tempus paschale. Ita evertitur fundamentum cujusdam opinionis (S.Antonin., Busemb., Pal., Bonac.), juxta quam obligatio communionis annuæ ita affixa fuit tempori paschali, ut eo transacto, impleri non posset, sicut obligatio audiendi missam die dominica adimpleri nequit per reliquam partem hebdomadis. Potius dicendum est illam obligationem comparandam esse

obligationi satisfaciendi contractui determinato tempore. In utroque enim casu tempus assignatur non ad extinguendam sed ad sollicitandam solutionem.

Valde confirmatur sententia hucusque fere communis statuens computationem anni in materia hujus præcepti esse a paschate ad pascha. Primaria obligatio est ut communio recipiatur in paschate, i. e. juxta determinationem localem temporis paschalis. A primo enim usu rationis non violatur præceptum donec tempus paschale instans transactum fuerit. Neque iterum violatur donec sequens tempus paschale elapsum fuerit. Quæ quidem probant initium novi anni computari *ab initio temporis paschalis.* Sed terminatur initio novi temporis paschalis; nam qui omiserit hoc anno tenetur adhuc ad communicandum vi secundarii et conditionati præcepti antequam incipiat nova obligatio; tota enim ratio legis urgentis est ut frequentetur SS. Sacramenti susceptio. Sequitur igitur eum *peccati gravis* reum esse contra hoc præceptum qui, omissa communione paschali sive culpabiliter sive inculpabiliter, non adeat sacram mensam antequam incipiat novum tempus paschale.

Tandem venit quæstio, "an qui omiserit communionem paschalem teneatur *quam primum* postea illam recipere?" Sententia negans quam S. Alphonsus dixit non esse condemnandam, solidam suam probabilitatem videtur adhuc retinere. Nihil enim aliud exigit Ecclesia quam ut *intra annum* suscipiatur, deficiente communione paschali. (Cf. Bucceroni, *II, n.* 1568.)

"Probabilius qui in Paschate non communicavit, non committit novum peccatum quamvis differat communionem ad finem illius anni. Lugo, a. 16, n. 69; Ball-P., n. 215; Genicot." Ferreres, I, n. 591.

Obligatio præcepti communionis sumendæ, quæ impuberes gravat, in eos quoque ac præcipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum. C. 860.

Præcepto communionis recipiendæ non satisfit per sacrilegam communionem. C. 861.

DE SUSTENTATIONE PASTORUM.

I. Ecclesia habet strictissimum jus exigendi.
II. Quoad modum urgendi temperatur exercitium juris tum a lege naturali tum a lege positiva.
III. Dispositiones juris et consuetudines apud nos.

I. **Ecclesiæ jus quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quæ ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria. C. 1496.**

Jus illud exigendi a fidelibus media temporalia requisita ad cultum divinum et ad sustentationem ministrorum (quæ necessario involvitur in isto cultu), fundatur in præscripto *legis naturalis* et *in lege positiva divina.* (Cf. II, II, Q. 87, a. 1.)

Ex lege naturali præscribitur cultus externus. Atqui sine ecclesiis, ministris, etc., quæ sustentantur a fidelibus nequit haberi conveniens talis cultus. Ergo ab ipsa lege naturali exigitur ut fideles præstent hujusmodi auxilia.

Ex jure divino positivo: *"Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annunciant, de evangelio vivere."* I Cor. IX, 13. (Cf. Matt. X, 10.)

Rectissime igitur damnata est a Concilio Constantiensi doctrina Wickleffii: *"Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre."* Denz., 598.

II. Quum adsit periculum ex una parte ne clerici inducantur in avaritiam et ex alia parte ne fideles scandalum patiantur, magna prudentia opus est in determinando modo quo bona requisita obtineantur. *"Ministri Ecclesiæ majorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum; et ideo Apostolus noluit uti potestate sibi a Domino tradita, ut scilicet acciperet stipendia victus ab his quibus evangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Christi."* II, II, Q. 87, a. 1, ad 5.

Inducta his principiis et exemplo Apostoli, Ecclesia mitiore methodo semper usa est in procurandis necessariis.

Sensu maxime delicato cavet ne pauperes ultra vires graventur et inde oriatur "impedimentum evangelio Christi." In diversis adjunctis temporis et loci, diversus est modus adhibitus.

Oblationes seu spontaneæ largitiones adhuc in *collectis* et *stipendiis libere datis* observantur.

Primitiæ seu primi fructus terræ fere obsoletæ sunt.

Decimæ aut sub forma *vectigalis impositi* aut in æquivalenti solutione taxæ civilis in locis ubi potestas civilis redditus ecclesiasticos usurpatos distribuit per modum pensionum, viget hodie in pluribus locis.

III. *Ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur.* C. 1502.

Quoad *statuta* in hac nostra regione, non existit ulla lex universalis imponens *determinatum* onus in fideles. Methodus apud nos adhibita illa est quæ in Ecclesia primordiali consueta fuit, i. e. *per oblationes liberas.* Est utique præceptum quo Catholici jubentur ut aliquid conferatur, et consuetudines diversæ in diversis statibus quoddam minimum videntur statuere, sed per se non stricte urget singulos. Magis sollicita est Ecclesia in evitanda specie avaritiæ et scandalum quam in stricta obligatione sub gravi imponenda, ut ex sequentibus patet.

"Vetamus ne sacerdotes . . . de suis redditibus, honorariis, stipendiis, collectis Dominicis . . . ad populum sæpe sæpius verba faciant." Conc. Balt. II, 150.

Vetantur ne recusent absolutionem fidelibus *"qui nolint collectis stipem dare, ad quam sub peccato gravi teneri non constet."* Conc. Balt. III, 292.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM

Quinam possint prohibere?

1. ***Suprema auctoritas Ecclesiastica,*** pro universa Ecclesia.

Romanus Pontifex, Concilium generale, S. Congregationes legem universalem ferre possunt.

2. ***Concilia particularia*** } pro subditis. Datur recursus ad S.
3. ***Ordinarii locorum*** } Sedem sed in devolutivo tantum.

Religiosi exempti probabilius non tenentur his legibus particularibus.

An qui versatur extra territorium tenetur? Probabiliter non tenetur.

4. ***Abbas monasterii sui juris*** }
5. ***Supremus Moderator religionis clericalis exemptæ, cum Capitulo suo vel Consilio*** } ex justa causa, suis subditis.

6. ***Alii Superiores majores cum proprio Consilio,*** solum si periculum sit in mora et quantocius deferant ad Supremum moderatorem.

Quid prohibetur?

Prohibetur sine debita licentia librum

Nomine "libri" includuntur tum diaria, tum periodica tum edita scripta, nisi ex natura rei vel contextu aliud constet. C. 1384, § 2. Ergo unica pagina, dummodo fuerit edita, constituit materiam.

1. ***Edere,*** i. e. evulgare, seu publici juris facere, sive typis committatur sive non.

Editor est qui suscipit curam evulgandi et disseminandi librum. Auctor, qui in hunc finem tradit alteri, etiam stricte dicitur edere. Similiter typographus, qui suscipit imprimendum. Præter hos, multi sunt cooperantes, sive formaliter sive materialiter, sive proxime sive remote.

2. ***Legere,*** i. e. oculis suis percurrere propositiones contentas in libro, earum sensum intelligendo.

Audire legentem non est violatio legis; sed qui jubet vel suadet alium legere ut audiat, facile co-operatur peccato istius qui non debet communicare aliis.

Prohibetur lectio etiam partium innocuarum (nisi prorsus expunctæ fuerint, et hoc sit certum, quod non facile verificatur circa librum *damnatum*).

Materia gravis judicanda est ex natura materiæ lectæ. Juxta antiquiores paucæ lineæ sufficiunt si sit aperte contra

fidem, dum pagina vel plus requiritur in aliis. Noldin tenet, in vere periculosa materia tres vel quattuor paginas esse gravem materiam, in aliis triginta circiter, imo sexaginta, si paginæ sint parvæ.

Vermeersch (Princip., T. III, n. 901) principium hoc statuit: "Illa materia quæ per se (i. e. plerisque) grave periculum proximum constituit, ex lege positiva est gravis etiam in casu particulari, cessante periculo." Deinde applicat, distinguendo casus:

a) Quamvis prohibitio libri secumfert præsumptionem gravitatis, dari potest casus in quo præsumptio cedit veritati, v. g. innocuus liber narrans miracula, sed carens approbatione.

b) Nisi pars lecta sit notabilis (ratione extensionis vel contentarum) non graviter peccatur. Porro (1) in libro specialiter periculoso (ob insidiosa argumenta vel lascivas descriptiones quibus abundat) paucæ paginæ (5-6) sufficiunt; (2) Etiam multo brevior locus *in se* graviter periculosus sufficit; (3) si ob *tendentias* prohibetur, decima pars, aut duodecima (aut si magnus est, 10 paginæ in folio) videntur requiri; (4) si constet magnam partem esse sine gravi periculo intrinseco, et non habere vim alliciendi ad lectionem reliquæ partis, non videtur grave legere illam partem. (5) Quoad diaria: quamvis grave est (a) habitualiter legere diarium malum etiam omissis malis partibus, (b) quosdam individuos articulos peculiariter malos, vel (c) cum gravi scandalo, tamen veniale tantum erit (a) legere obiter dicta contra religionem, (b) lege unum alterumve numerum omissis locis specialiter periculosis.

3. ***Retinere,*** i. e. apud se vel apud alium, librum proprium vel alienum servare.

Ut sit grave peccatum, retentio debet esse durationis *notabilis.* Mora paucarum dierum facile excusatur a gravi ob causam rationabilem; et longior retentio, v. g. per mensem non erit gravis si quis expectat licentiam.

Qui compingit libros, non putatur violare legem si ob bonas rationes apud se retinet libros prohibitos; nec qui custodit bibliothecam; nec qui ad alios usus, sine periculo legendi, servat folium.

4. ***Vendere,*** seu pro pretio alteri transferre dominium libri.

Non est prohibitum vendere alteri qui habet licentiam legendi, ut patet.

Si quæstio sit de bibliopolis, distinguit Canon 1404 quid ipsis liceat, quid non. "Librorum venditores libros de obscenis ex professo tractantes ne vendant, commodent, retineant; ceteros prohibitos venales ne habeant, nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti."

Libri ex professo tractantes de obscenis—i. e. non obiter sed cum aliqua copia ita agentes de rebus lascivis ut excitetur libido—neque vendi possunt neque venales haberi.

Neque alios libros prohibitos bibliopolæ venales habeant sine licentia S. Apostolicæ.

Attamen non vetantur vendere hos alios, dummodo eos non retineant. In vendendo vero (sive venales habeant cum licentia, sive non) licet solum iis vendere quos prudenter judicare possunt legitime emere.

5. ***Vertere in aliam linguam,*** nam versione redditur liber aliis accessibilis.

In Canone 1396 legitur "Libri ab Apostolica Sede damnati ubique locorum et in quodcumque vertantur idioma prohibiti censeantur."

6. ***Communicare cum aliis ullo modo,*** v. g. donando, commodando, legendo, recitando.

Quid de operibus dramaticæ arti accomodatis?

Quinam libri prohibentur?

1. Editiones S. S. ab acatholicis publicatæ; versiones S. S. ab eisdem confectæ vel editæ. C. 1399, § 1.

2. Versiones S. S. in vernaculam etiam a Catholicis factæ, nisi aut probatæ a Sede Apostolica aut sub vigilantia Episcoporum cum notis debitis. C. 1399, § 5, et 1391.

3. Libri S. S. vel eorumdem adnotationes et commentaria quæ edita sunt sine censura Ecclesiastica. C. 1399, § 5, et C. 1385, § 1, n. 1.

Lectio eorum qui continentur sub nn. 1 et 2 permittitur iis qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo fideliter et integre editi sint neque impugnentur in prolegominis aut notis dogmata fidei. C. 1400.

4. Libri quorumvis scriptorum, hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes. C. 1399, n. 2.

Libri:—non prohibetur tota encyclopedia ob quosdam articulos hujus tenoris; nam est collectio opusculorum.

Propugnantes: i. e. dando argumenta et rationes.

Fundamenta religionis: scilicet tum naturalis, ut sunt veritates de spiritualitate animæ, tum supernaturalis, ut est miraculi possibilitas.

Probabiliter non includuntur sub hoc numero diaria, opuscula, etc., quia in alio numero ejusdem canonis explicite talia enumerantur, ut in Constit. "*Officiorum*" ex qua Constitutione desumitur præsens numerus prout jacet. Cf. Ferreres, n. 636.

5. Libri qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt. C. 1399, n. 3.

Libri in hoc numero sumi debent in sensu C. 1384, § 2; nam ita in vetere lege.

Religio, i. e. tum *naturalis* tum *supernaturalis*, contra quosdam, ut Vermeersch qui putat solum naturalem hic significari.

Boni mores, utriusque scilicet ordinis.

Data opera, intentione directe contraria, ita ut appareat auctorem libri non obiter vel inconsiderate aliquid hujusmodi dicere, sed consulto, de industria, et juxta plures (v. g. Genicot) in parte notabili.

6. Libri quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri. *Ibid., n.* 4.

Conciones, tractatus theologicales, Bible Lessons, sub hac prohibitione cadunt; item liber de religione Buddhistica ab infideli scriptus, etsi profiteatur esse relationem mere historicam.

"Ex professo" fere idem est ac "data opera" sed forsan postulat majorem copiam vel frequentiam materiæ prohibitæ.

7. Libri ac libelli, enarrantes novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel qui novas inducunt devotiones (etiam ut privatas), *si editi fuerint non servatis Canonum præscriptionibus. n.* 5.

8. Libri qui quodlibet ex Catholicis dogmatibus impugnant vel derident, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt. *n.* 6.

9. Docentes vel commendantes cujusvis generis superstitionem. *n.* 7.

10. Statuentes licitum duellum, suicidium, divortium; contendentes sectas Massonicas et similes esse utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili Societati. *n.* 8.

11. Ex professo tractantes, narrantes aut docentes res lascivas seu obscenas. *n.* 9.

12. Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum non congruentes cum authenticis approbatis. *n.* 10.

13. Divulgantes indulgentias apocryphas, proscriptas a S. S. aut revocatas. *n.* 11.

14. Imagines sacræ quoquo modo impressæ ab Ecclesiæ sensu et decretis alienæ. *n.* 12.

Exempti a lege Ecclesiastica sunt ***Cardinales, Episcopi*** etiam titulares, aliique ***Ordinarii.***

Venditores { *obscenos* ex professo, ne vendant, commodent, retineant; / *alios* { ne venales habeant sine licentia; / ne cuiquam vendant nisi prudenter possint existimare eum legitime petere.

Probabiliter, juxta Canonem hunc 1404 licet sine licentia vendere nomine alieno, v. g. licitatione, libros prohibitos, dummodo non sint de obscenis ex professo et legitimo emptori vendantur. Ita Genicot, n. 456, IV.

Licentiam dat (1) ***Apostolica Sedes,*** sed qui ab ea habet, non ideo potest legere libros damnatos a suo Ordinario.

(2) Ordinarius tantum pro singulis libris et in casibus urgentibus; si generalem habet facultatem concedendam, nonnisi cum delectu et justa ac rationabili causa concedat. C. 1402.

Habentes facultatem gravi præcepto tenentur custodiendi libros prohibitos (C. 1403, § 2), neque eximuntur a prohibitione legis naturalis circa periculum in talibus libris legendis. C. 1405, § 1.

Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes, opportune moneant fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, præsertim prohibitorum. C. 1405, § 2.

Pœnam (1) Excommunicationis ***speciali modo*** reservatæ ***Sedi Apostolicæ*** incurrunt: (a) ***Editores*** librorum apostatarum, hæreticorum, schismaticorum, qui apostasiam, hæresim, schisma propugnant; (b) ***defendentes*** et ***scienter legentes*** vel ***retinentes eosdem*** vel ***alios per Apostolicas litteras nominatim prohibitos;***

(2) Excommunicationis nemini reservatæ incurrunt curantes imprimi S. S., annotationes, commentarios sine licentia.

DE CENSURA LIBRORUM

CC. 1385-1394

Libri censuræ subjiciendi

- Libri S. S., annotationes, commentaria;
- Spectantes disciplinas religiosas ac morales;
- Libri ac libelli precum, etc.;
- Continentes aliquid quod peculiariter intersit religionis ac morum honestatis;
- Imagines Sacræ quovis modo imprimendæ.

Licentiam dat Ordinarius loci

- ***auctoris***
  vel
- ***loci publicationis***
  vel
- ***loci in quo imprimatur***

sed si ab uno denegatur, certior faciendus est alius a quo petitur.

Religiosi debent habere etiam præviam licentiam sui Superioris majoris.

Vetantur edere alia etiam profana

- ***Clerici sæculares*** sine consensu suorum Ordinariorum vel in diariis, foliis, libellis periodicis scribere vel eadem moderari sine ejusdem consensu;
- ***Religiosi*** (vel in diariis etc.) sine licentia sui Superioris majoris et Ordinarii loci;
- ***Laici catholici*** in diariis, foliis vel libellis periodicis qui religionem aut bonos mores impetere solent (ne quidpiam conscribant) nisi justa ac rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata.

In his non est quæstio de *censura* (nisi scriptum sit ex supra enumeratis), sed de *licentia*. Clerus sæcularis indiget licentia *sui* Ordinarii; Vermeersch putat sufficere pro religioso licentiam unius ex tribus antea nominatis, præter licentiam sui Superioris majoris antea obtentam.

Idem (Vermeersch) etiam notat diversum modum loquendi adhibitum quoad periodicos bonos et malos respective. Unde infert clericum posse *aliquid* scribere sine licentia, et Genicot, dummodo non sit alicujus momenti vel habitualiter.

Requiritur licentia ***S. Congregationis Rituum*** ad edendum quæ quoquo modo pertinent ad causas ***beatificationum*** et ***canonizationum*** Servorum Dei.

Ordinarii loci ad edendum ullos libros ***Indulgentiarum,*** summaria, libellos, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur.

Expressa Sedis Apostolicæ ad typis edendum collectiones authenticas Indulgentiarum a Sede Apostolica concessarum . . . vel summaria sive nova sive nondum approbata.

Congregationis Romanæ Moderatoris pro nova editione Decretorum ejusdem.

Attestatio Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici juris fiunt requiritur in edendis libris liturgicis eorumque partibus, itemque litaniis a S. Sede approbatis, de concordantia cum editionibus approbatis.

Nova Approbatio (1) ***Sedis Apostolicæ*** requiritur ad typis imprimendum versiones SS. Scripturarum in linguam vernaculam nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus præcipue excerptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

(2) requiritur pro translatione vel nova editione cujuslibet operis, etsi textus originalis jam approbatus fuerat. Sed separata editio excerptionum e periodicis non censetur nova editio.

Censores a) Ex officio adsint in universis Curiis Episcopalibus;

b) Tantum dogmata, communem doctrinam, habeant præ oculis;

c) Ex utroque clero, ætate, eruditione, prudentia commendati;

d) Scripto dent sententiam; ne fiant noti auctori antequam dederint faventem sententiam.

Licentia concessa ab Ordinario imprimenda est in principio vel fine, expresso nomine, loco, tempore.

ERRATA PRÆCIPUA

pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
3	antepenult.	bonis	boni
5	4	2	3
5	20	satisfit	satisfacit
69	31	subiti	subditi
91	17	I, I	I, II
122	23	principa	principia
133	11	1860	1680
138	12	dubia	dubiæ
149	27	attingendi	attingenti
157	18	includat	includant
164	24	gravissimam	gravem
166	7	secundam	secundum
173	15	admittendæ	ammittendæ
178	antepenult.	ei . . . . fini	eo . . . . fine
184	10	creditori	creditore
218	8	sensibilem	sensualem
230	26	eminatio	seminatio
231	linea 2 debet legi post 3.		

Index Rerum

De Actibus humanis ... 1
Voluntarium ... 6
Voluntarium, in causa ... 10
Impedimenta Voluntarii:
Ignorantia ... 17
Concupiscentia ... 25
Metus ... 28
Violentia ... 32

De Moralitate:
Essentia moralitatis ... 35
Norma moralitatis ... 36
Principia moralitatis ... 41

De Legibus:
Doctrina S. Thomæ ... 51
Lex naturalis ... 53
Notio legis ... 60
Auctor legis ... 62
Objectum legis ... 64
Subjectum legis ... 65
Promulgatio ... 68
Acceptatio ... 69
Obligatio ... 70
Interpretatio ... 74
Epikeia ... 76
Dispensatio ... 77
Cessatio ... 81
Lex Ecclesiastica ... 82
Lex Civilis ... 85
Lex Poenalis ... 86
Lex Irritans ... 87
Consuetudo ... 88

De Peccatis:
Definitio ... 91
Peccatum veniale ... 101
Distinctio peccatorum ... 106
Peccata interna ... 114
Vitia capitalia ... 117

De Conscientia:
Ut regula moralitatis ... 122
Probabilismus ... 128

De Virtutibus:
Fides ... 142
Spes ... 148
Caritas ... 149
Scandalum ... 159
Religio ... 165
Devotio ... 166
Oratio ... 167
Adoratio ... 168
Superstitio ... 168
Idololatria ... 169
Divinatio ... 170
Vana observantia 170
Irreligiositas:
Tentatio Dei ... 176
Sacrilegium ... 177
Simonia ... 180
Blasphemia ... 185
Votum ... 187
Juramentum ... 192
Modus et tempus religionis exercendae:
Auditio Missae ... 198
Opera prohibita in die festo ... 201

Pietas:
Obligationes filiorum ... 204
Obligationes parentum ... 206
Obligationes conjugum ... 206
Schola acatholica ... 207
Obligationes famulorum ... 208

Justitia:
Quoad præceptum decalogi quintum
Suicidium ... 209
Occisio rei ... 210
Occisio aggressoris injusti ... 211
Occisio innocentis ... 211
Abortus ... 213
Bellum ... 215
Duellum ... 215
Quoad præcepta decalogi sextum et nonum
Luxuria ... 216
Oscula ... 219
Tactus ... 220
Aspectus ... 221
Fornicatio ... 222
Adulterium ... 222
Incestus ... 223
Sacrilegium ... 223
Raptus ... 224
Pollutio ... 224
Sodomia ... 226
Bestialitas ... 227
Quoad præceptum decalogi octavum
Mendacium ... 228
Detractio ... 230
Contumelia ... 232
Secretum ... 233
De alienis litteris ... 234
Judicium temerarium 234

De obligationibus particularibus:
De judicibus ... 236
De advocatis ... 238
De reis ... 239
De testibus ... 241
De medicis ... 241

De Praeceptis Ecclesiae:
Potestas indicendi dies festos ... 243
Potestas dispensandi ... 244
Abstinentia et jejunium ... 245
Annua confessio ... 247
Communio paschalis ... 250
Sustentatio pastorum ... 254

De Prohibitione Librorum:
Quinam possint prohibere 256
Quid prohibetur ... 256
Censura librorum ... 261

239.02
L.973

2164

LUNNY, JOHN J.
AUTHOR

Instit. Theolog. Moralis - Vol I
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONNELLY	
	Fr. Furraher	

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

2164